REGULA XXXII.

Eccleſiæ univerſa conſuetudo omnibus, & ſingulis Chriſtianis pro Lege habenda, & religioſe ſervanda eſt.

De conſuetudine. Hanc Regulam tradit S. Auguſt. Epiſtola 54. alias 118. *Ad Januarium*, cap. 1. & refertur Canone *Illa*, diſt. 12. *illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel Plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata, atque ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in Cœlum Spiritus Sancti anniverſaria Sollemnitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrit, quod ſervatur ab univerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia.*

Et cap. 5. *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſima inſania eſt.*

Et Epiſt. 36. alias 85. *Ad Caſulanum*, de Dominica die ſic loquitur: *Quiſquis hunc diem jejunio decernendum putaverit, ſicut quidam jejunantes Sabbatum obſervant, non parvo ſcandalo erit Eccleſiæ; nec immerito. In his enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina, mos populi Dei, vel inſtituta Majorum pro lege tenenda ſunt.*

REGULA XXXIII.

Eccleſiæ cujuſque particularis conſuetudo ab iis ſervanda eſt, qui in ea morantur, vel ad eam veniunt.

Ita docet S. Auguſt. Epiſt. 54. ſupra laudata, ubi loquens de illo rerum genere, quarum obſervantia per loca, regioneſve variatur ait; *Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim cauſſis id eſt, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel inſtitui quod non fiebat.*

Idem confirmatur ex Canone, *Catholica*, diſt. 11. qui S. *Auguſtino* tribuitur, *Catholica Eccleſia per orbem terrarum diffuſa tribus modis probatur exiſtere. Quicquid enim in ea tenetur, aut Auctoritas eſt Scripturarum, aut traditio univerſalis, aut certe propria, & particularis inſtitutio. Sed Auctoritate tota conſtringitur, univerſali Traditione majorum nihilominus tota; privatis vero Conſtitutionibus, & propriis informationibus unaquæque pro locorum varietate, prout cuique viſum eſt, ſubſiſtit, & regitur.*

Et Canone *Scit ſancta*, diſt. 12. Leo IX. & Nicolaus I. Pontifices Maximi ajunt: *Scit ſancta Romana Eccleſia, quod nihil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco, & tempore conſuetudines; ſi illis Canonica non obſiſtat Auctoritas, pro qua eis obviare debeamus; unde nihil judicamus eis debere, vel poſſe reſiſtere.*

Et S. *Gregorius* in Reſponſis ad *Auguſtinum* Anglorum Epiſcopum privatas variarum Eccleſiarum Conſuetudines commendat, ut habetur Cap. *Noverit*, eadem diſtinctione. *Mihi placet* (inquit) *ut ſive in Romana, ſive in Gallicana, ſive in qualibet Eccleſia, aliquid inveniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas, & in Anglorum Ec-*

De conſuetudine. *cleſia, quæ adhuc in fide nova eſt, inſtitutione præcipua, quæ de multis Eccleſiis colligere poteris, infundas: Non enim pro locis res, ſed pro rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſiis quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige: & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.*

REGULA XXXIV.

Conſuetudines fidei, aut bonis moribus minime contrariæ non facile mutandæ ſunt ubi radices egerunt.

Ut enim ſcite ait S. *Auguſtinus*, Epiſtola 54. *Ad Januarium*, cap. 5. *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.*

REGULA XXXV.

Conſuetudines ad vitæ melioris exhortationem conducentes probandæ, atque ſectandæ ſunt, niſi amplius detrimentum inde metuatur.

Hanc regulam tradit S. *Auguſtinus*, Epiſtola 55. alias 109. *Ad Januarium*, cap. 18. *Memor ſane* (inquit) *quid ita volueris, ut de iis, quæ varie per diverſa loca obſervantur, tibi aliqua ſcriberem, cum & non ſit neceſſarium, & una in his ſaluberrima Regula retinenda ſit, ut quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris ubicumque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus; ſed etiam laudando, & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum ſit. Si enim eo modo impediat, ut majora ſtudioſorum lucra ſperanda ſint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt, maxime id, quod etiam de Scripturis defendi poteſt; ſicut de Hymnis, & Pſalmis canendis, cum & ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta.*

REGULA XXXVI.

Humanæ præſumptiones, ſeu conſuetudines abſque cauſſa legitima introductæ, vel quarum cauſſa ignoratur, & quæ inutiles, aut ſuperfluæ ſunt, reſecari debent, ubi facultas tribuitur.

Hanc regulam tradit ibidem S. *Auguſtinus*, c. 19. *Hoc* (inquit) *nimis doleo, quod multa, quæ in Divinis Libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per Octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed pro diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri poſſint cauſſæ, quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt; ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint: ipſam tamen Religionem, quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur. Sed Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat; & tamen, quæ ſunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

REGULA XXXVII.

Conſtitutiones Pontificiæ, cæteraque Leges futuris dant formam negotiis, non ad præterita facta trahuntur, niſi nominatim in eis de præteritis caveatur.

Alioquin diſpendium ante prohibitionem ignorantes incurrerent, quod æquitati repugnat. Hæc Regula nititur c. *Cognoſcentes*, Ext. *De Conſtitutionibus*, quod ex S. *Greg.* Lib. 7. Ep. 35. ſumptum eſt: & cap. *Quoniam Conſtitutio*, quod eſt *Gregorii IX.* ſub eod. Tit. — De Conſtitutionibus, & Reſcriptis Pontificiis.

REGULA XXXVIII.

Omnia Summorum Pontificum Reſcripta vim Conſtitutionis non habent: omnibus tamen parendum eſt, niſi eſſent evidenter contra Jus; aut ratio humiliter exponenda, cur executioni mandari non poſſint.

Hanc Regulam tradit S. *Antoninus*, P. 1. Tit. 17. c. unico, De Lege Canonica, §. 17. *Reſcriptum* (inquit) *eſt ſecundum jus, præter jus, aut contra jus. Si eſt ſecundum jus, vim Conſtitutionis habet. Talis eſt Decretalis Epiſtola, & in cauſſis definiendis auctoritatem habet. Si præter jus, ſimiliter vim Conſtitutionis habet, & arctat illos, ad quos dirigitur.* Nam etſi vix ferendum jugum a Sancta Romana Sede imponitur, pia tamen devotione tolerandum eſt, *ut dicitur Canone*, In Memoriam. *Diſt.* 19. *Aut is, cui Mandatum dirigitur, rationabilem cauſſam aſſignet, quare quod mandatur, adimplere non poſſit, ut ſtatuit Alexander III.* c. *Si quando*, Ext. *De Reſcriptis*, cujus hæc ſunt verba: *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes... Qualitatem negotii, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut Mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſſam prætendas; quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.* Si vero ſcriptum ſit *contra jus, & forte contra dictum Dei, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, aliquid prodeat, omnino reſpuitur* (inquit S. Antoninus) *Ubi enim aperte Dominus, vel ejus Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti Patres ſententialiter aliquid definierunt; ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt, uſque ad animam, & ſanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apoſtoli, & Prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur. Sed hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optime cuſtodierunt.* Verba ſunt Canonis, *Sunt quidam*, cauſſa 25. qu. 1. qui *Urbano* — De Conſtitutionibus, & Reſcriptis Pontificiis. — Papæ tribuitur. Idque confirmat *Zoſimus* Canone, *Contra Statuta*, ibidem. *Contra Statuta Patrum*, inquit, *condere aliquid, vel mutare, ne hujus quidem Sedis poteſt Auctoritas. Apud nos enim inconvulſis radicibus vivit Antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxere reverentiam.* Si autem Reſcriptum ſit contra Jus poſitivum, *Abjiciendum eſt*, (inquit S. Antoninus (*Nec enim ratione Reſcripti recedendum eſt a Jure communi, niſi expreſſe in Reſcripto contineatur, non obſtante Conſtitutione, vel Jure tali: alias non eſt veriſimile, Summum Pontificem una Epiſtola multa velle tollere Jura.* Hinc Imp. *Theodoſius*, & *Valentinianus* ſanxerunt *Reſcripta contra Jus elicita ab omnibus Judicibus refutari, niſi forte aliquid eſt, quod non lædat alium, & proſit petenti, vel crimen ſupplicantibus indulgeat.* Quæ Lex in Corpus Juris Canonici tranſcripta eſt, Canone *Reſcripta* cauſſa 25. q. 2. Et Canone *Dicenti*, ea tantum Reſcripta executioni mandari vult *Pelagius* Pontifex, *quæ cum Juris, & Legum ratione concordant.* Hinc *Alexander III.* cap. *Eam te*, Ext. *De ætate, & qualitatibus Ordinandorum*, in Beneficiis curam Animarum adjunctam habentibus perſonas aliquas inſtitui vetat, Pontificiarum etiam Litterarum obtentu, *Quæ ſcientia, moribus, & ætate Conciliis non congruant inſtitutis.* Hinc *Gregorius IX.* cap. *Eccleſiæ* 2. Ext. *De electione*, ait: *Neque enim credendum eſt, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, quod alias excogitatum eſt multis vigiliis, inventum, uno verbo ſubvertere voluiſſe.*

Et *Innocentius III.* c. *Paſtoralis*, Ext. *De fide inſtrumentorum*, ſtatuit, *Ut cum aliqua Decretalis, de qua Judex merito dubitet, allegatur, ſi eadem Juri communi ſit conſona, ſecundum eam non metuat judicare: cum non tam ipſius, quam Juris communis auctoritate procedere videatur. Verum ſi Juri communi ſit diſſona, ſecundum ipſam non judicet, ſed Superiorem conſulat ſuper ea.*

Denique *ſi Reſcriptum ſit contra conſuetudinem, prævalet conſuetudo;* (inquit S. Antoninus) *Nam prævalet Juri, ſi ſit rationabilis, & præſcripta.* Hæc ſcire operæ pretium fuerit conſcientiarum Moderatores.

REGULA XXXIX.

Reſcripto Pontificio tuta conſcientia uti non poteſt, qui per ſuggeſtionem falſi, aut ſuppreſſionem veri illud impetravit, ſive ſciens, ſive ignorans, modo tamen ea ignorantia fuerit, qua non interveniente datum non fuiſſet.

Hanc Regulam tradit *Innocentius III.* c. *Super Litteris*, Ext. *De Reſcriptis*. Æquum enim eſt, ut *Mendax peccator careat penitus impetratis*. In Reſcriptis igitur Pontificiis intelligenda ſemper eſt hæc conditio, etiamſi non apponatur: *Si preces veritate nitantur*; ut declarat *Alexand. III.* c. *Ex parte*, ſub eodem Tit. Idem confirmat Canon *Dicenti*, Cauſſa 25. q. 11. ubi *Pelagius* Papa ait: *Reſcripta, quæ ſubreptione, vel falſis precibus forſitan impetrantur, nullum ſupplicantibus ferre remedium.*

Reſcriptum nullius roboris eſt, ſi non contineat ſeriem facti. Cap. *Super eodem*, Ext. *De Cohabitatione Clericorum, & mulierum*. 2. Si non exprimat cauſſam facti, c. *Dilectus*, Ext. *De Reſcriptis*, & c. *Cum pro cauſſa*, Ext. *De Sententia Excommunicationis*. 3. Si non fiat mentio diſpenſationis, c. *Ex tua*, Ext. *De filiis Presbyterorum*. 4. Si non fiat mentio compoſitionis. c. *Ex multiplicis*, Ext.

De Diſpenſationibus. *De Reſcriptis*. 5. Si non fiat mentio Statuti, c. *Conſtitutus*, Ext. *De Reſcriptis*. 6. Si non fiat mentio Privilegii, c. *Cum ordinem*, ſub eodem Tit. 7. Si non fiat mentio Sententiæ latæ, c. *Inter Monaſterium*, Ext. *De Sententia, & re judicata*. Quæ omnia tribus hiſce verſibus juvandæ memoriæ cauſſa exprimuntur.

Si Privilegium, ſi Diſpenſatio, Pactum.
Vel ſi Reſcriptum, Sententia, ſive Statutum,
Finis tolletur, niſi mentio facta probetur.

REGULA XL.

Graviter peccat Superior, qui diſpenſationem concedit, ſeu licentiam, ut præceptum Legis non ſervetur, abſque juſta cauſſa.

Hanc Regulam tradit S. *Bern.* l. 3. *De conſid.* c. 4. *Ubi*, inquit, *neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

Et lib. *De Præcepto, & Diſpenſatione*, c. 2. *Stabile dixerim, quod ita eſt neceſſarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas ſit, niſi ſolis diſpenſatoribus Myſteriorum Dei, id eſt, Præpoſitis, verb. gr. Regulam ſanctorum Baſilii, Auguſtini, Benedicti, necnon, & authenticos Canones, & ſi quæ ſint alia Eccleſiaſtica Inſtituta digna auctoritatis. Quæ quoniam a Sanctis tradita ſunt, ſancita ſtabiliter perſeverant, nec omnino cuivis ſubjectorum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur. Quia tamen ab hominibus, etiam per homines loco, & Officio illis Canonica Electione ſuccedentes, licite interdum, innoxieque pro cauſſis, perſonis, locis, & temporibus, diſpenſantur... Porro inventa, atque inſtituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, ſed quod ita magis expediret, nec plane ad aliud, quam ad lucrum, vel cuſtodiam caritatis. Quandiu ergo caritati militant, immobiliter fixa ſunt, mutarique omnino, ne ab ipſis quidem Prælatis ſine offenſa poſſunt. Aut ſi e contrario contraria forte aliquando caritati viſa fuerint, his dumtaxat quibus hoc poſſe videre datum eſt, & providere creditum eſt: nonne juſtiſſimum eſſe liquet, ut quæ pro caritate inventa fuerunt, pro caritate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur? Sicut e regione iniquum proculdubio foret, ſi Statuta pro ſola caritate, contra caritatem tenerentur. Tenent ergo fixam, firmamque immobilitatem etiam apud Prælatos, quæ ex ſtabili neceſſaria ſunt, ſed quatenus caritati deſerviunt. Numquid autem hoc ego vel ſolus ſentio, vel primus dico? An non hoc ipſum & Papa Gelaſius ſenſit? At ſi ſiquidem:* " Ubi neceſſitas non eſt, inconvertibilia maneant Sanctorum Patrum Decre-
„ ta. *Leo quoque Papa*; Ubi, *inquit*, neceſſitas non eſt;
„ nullo modo Sanctorum Patrum Conſtituta violentur. *Et*
„ *infert*: Ubi ergo neceſſitas fuerit ad utilitatem Eccleſiæ,
„ qui poteſtatem habet, ea diſpenſet. Ex neceſſitate enim
„ fit mutatio legis.

Eandem regulam confirmat S. *Th.* 1. 2. qu. 97. art. 4. *Si*, inquit, Superior *abſque ratione, pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoret; propter quod Dominus dicit*, Quis putas eſſe fidelis *diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* — Luc. 2.

Et in Reſp. ad 1. *Quando cum aliquo diſpenſatur, ut Legem communem non ſervet, non debet fieri in præjudicium boni communis, ſed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat.*

REGULA XLI.

Regulares obſervantiæ Superiorum fidei, non voluntati commiſſæ ſunt: unde nec in iis poſſunt diſpenſare, niſi cum neceſſitas, vel caritas exegerit.

Hanc Regulam rurſus tradit S. *Bernardus*, Lib. *De Præcepto, & Diſpenſatione*, c. 4. *Quicquid* (inquit) *de ſpiritualibus in Regula traditum eſt, in manu Abbatis nequaquam relinquitur. Deinde reliqua pars, quæ in corporalibus conſtat Obſervantiis, ne ipſa quidem in ejus ita voluntate poſita eſt, ut ejuſdem deſerviat voluntati, ſed magis caritati. Neque enim Abbas ſupra Regulam eſt, cui ſemel & ipſe ſpontanea ſe Profeſſione ſubmiſit, etſi (quod negandum non eſt) Dei Regula caritas Regulæ Sancti Benedicti jure præponitur. Eſto proinde, ut interdum Regulæ littera cedat pro tempore caritati, cum ratio neceſſitatis, vel caritatis exegerit: abſit tamen, ut hominis cujuſpiam ſubdatur voluntati. Super Fratrum ſane tranſgreſſiones, non ſuper Patrum traditiones conſtituitur, qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & ultor vitiorum. Arbitror namque ſanctas illas Obſervantias, Prælatorum prudentiæ, & fidei creditas, non ſubditas voluntati. Hinc eſt, quod idem Legiſlator in his, quæ Abbati diſpenſanda reliquit, caute nuſquam (ut memini) voluntatem, ſed aut conſiderationem, aut diſpoſitionem, aut providentiam, aut certe arbitrium, ſeu aliquid hujuſmodi ponit: volens nimirum providum, fidumque diſpenſatorem, rationis, ubi forte diſpenſat, ſequi judicium, non ſuæ placitum voluntatis. Unde & intimat ei non ſemel, quod de omnibus judiciis ſuis Deo redditurus ſit rationem.* — De Diſpenſationibus.

REGULA XLII.

Privilegium reale, & corporale perpetuum eſt, non perſonale.

Privilegium reale eſt, quod Eccleſiæ, Dignitati, civitati, vel alicui loco, vel aliquibus perſonis occaſione loci ſeu cujuſcumque rei conceditur. Et tale privilegium perpetuum eſt, & rei adhæret, & ſic ſemper durat, niſi res perimatur, vel deſtruatur; vel niſi ex parte, vel totum revocetur, vel amittatur. (Cap. *Recolentes*, Ext. *De Statu Monachorum*.) Si tamen ipſa res, Eccleſia, vel locus privilegio donatus non Superioris auctoritate, ſed hoſtili incurſione deſtruatur, privilegium retinet (Can. *Quæ ſemel*, cauſſa 19. q. 3.)

Perſonale Privilegium eſt illud, quod alicui, vel aliquibus, certis, & propriis nominibus expreſſis, perſonaliter conceditur. Tale privilegium *perſonam ſequitur*, & *extinguitur cum perſona*; ſicque temporale eſt, & non perpetuum, ſecundum Regulam Juris ſeptimam, in *Sexto*; & cap. *Mandata*, Extra, *De Præſumptionibus*.

Privilegium corporale eſt illud, quod alicui Univerſitati, Societati, Ordini, Capitulo, vel Collegio ita conceditur, ut quodlibet illius membrum eo privilegio juvetur, vel etiam Univerſitas ipſa, Societas, Ordo, Capitulum, vel Collegium. Tale privilegium non perit durante Collegio, niſi revocetur ab eo, qui conceſſit, vel ab ejus Succeſſore, aut alio modo deficiat ex iis, qui notantur in Jure.

REGULA LXIII.

Privilegium multis modis irritum, aut caducum eſt.

Decem modos enumerat S. *Anton.* 1. P. Tit. 19. c. 1. quibus fit irritum & inane privilegium. 1. Si per ſubreptionem conceſſum fuerit. Nam quoad ſic impetrantem favore caret. (Cap. *Litteris*, Ext. *De Reſcriptis*, & c. *Cum olim*. Ext. *De Sententia, & re judicata*. 2. Si ſit contrarium Conſtitutioni, & nihilominus ejus non meminerit. Cap. *Cum nos*, Ext. *De his quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu Capituli*. 3. Si tollat Conſuetudinem, & nullam tamen ejus mentionem faciat. Cap. *Licet*, Tit. *De Conſtitutionibus*, in

Sex-

Sexto. Item ſi ſit contra Sententiam latam, nec ejus mentionem ullam habeat. Cap. *Inter dilectos*, Ext. *De fide Inſtrumentorum*. Item ſi lite pendente ſit impetratum, niſi mentio de hoc fiat. Cap. *Cauſſam*. Ext. *De Teſtibus*. 4. Ceſſante cauſſa privilegii, deficit privilegium. Cap. *Cum ceſſante*, Ext. *De Appellationibus*. 5. Excedit privilegio, qui agit contra privilegii tenorem, Cap. *Porro*, & cap. *Conceſſionibus*. Ext. *De Privilegiis*, &c. *Cum acceſſiſſent*. Ext. *De Conſtitutionibus*. 6. Ceſſat privilegium, cum alicui nocere incipit, & illi præcipue, cujus in gratiam conceſſum eſt. *Quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* (ut habet Regula juris 61. in *Sexto*.) 7. Privilegium prius tollitur per ſecundum contrarium, quod expreſſam illius mentionem facit, Cap. *Veniens*; Ext. *de Præſcriptionibus*. 8. Tollitur per concedentis revocationem, quam tamen fieri non decet ſine cauſſa. Ex cauſſa vero poteſt, & debet revocari, puta ſi eo privilegio jus aliorum graviter lædatur (inquit *S. Anton.*) Item ſi quis non ſervat privilegia ſubditis ſuis a ſuo Superiore conceſſa, merito & ipſe privilegio ſuo privatur, Cap. *Dilecti*, Ext. *De Privilegiis*, quod *Alex. III.* Reſponſum eſt. 9. Tollitur privilegium per ejus cui conceſſum eſt, renuntiationem, Cap. *Nuper*, Ext. *De Decimis*. 10. Amittitur privilegium per non uſum, vel uſum contrarium, ſeu abuſum. Nam *Privilegium omnino meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate*, ut dicitur Can. *Privilegium*, cauſſa 11. qu. 3. & c. *Tuarum*. Ext. *de Privilegiis*, & c. *Si de terra*, ſub eodem Titulo, & cap. *Ut privilegia*.

REGULA XLIV.

Qui ſe per Sedis Apoſtolicæ Privilegia Exemptos aſſerunt, a locorum Ordinariis requiſiti hujuſmodi Privilegia oſtendere, ac ad legendum exhibere, necnon de articulis de quibus controverſia fuerit, Tranſcriptum tradere tenentur. Si autem immunitatem ſuam Canonica Præſcriptione tuentur, de Præſcriptione fidem facere debent.

Hæc Regula nititur, cap. *Accepimus*, Ext. *De fide Inſtrumentorum*. Ratio eſt, quod *Privilegia non inſpecta non valeant argui falſitatis*.

REGULA XLV.

Si Privilegii tenor per ſe non ſufficit ad plenam Immunitatis probationem, ſed tamen cauſſam præbet præſcribendi, quadraginta annorum Præſcriptionem probare tenentur.

De privilegiis. Hæc utraque Regula nititur capitulo *Cum perſonæ*, Tit. *de Privilegiis*, in Sexto. *Si vero privilegium per ſe ſufficiens, quando ſolo privilegio ſe defendunt, vel ſaltem tale, quod Præſcriptioni Canonicæ cauſſam præſtet, cum præſcriptionem allegant, non exhibuerint: cum de Jure communi Ordinariorum intentio ſit fundata, ſua Juriſdictione uti poſſint libere in eoſdem, donec de Præſcriptione Canonica fecerint plenam fidem.*

REGULA XLVI.

Privilegium, & quodcunque aliud Inſtrumentum, cujus litteræ legi non poſſunt, maxime in nota temporis, quo datum eſt, vel cujus charta vetuſta eſt, ſcriptura vero alicubi ſaltem recentior, vel cujus ſigillum non eſt authenticum, fidem non facit.

Hæc Regula nititur c. *Inter dilectos*, quod eſt *Innoc. III.* Ext. *De fide Inſtrumentorum*. Alia falſitatis indicia in Litteris Apoſtolicis prodit cap. *Licet*, Ext. *De crimine falſi*, & cap. *Quam gravi*, ſub eod. tit. falſa latinitas privilegium, & quodvis aliud Summi Pontificis Reſcriptum vitiat, ex *Lucio III.* cap. *Audientiam*, Ext. *De Reſcriptis*. Si tamen in narratione facti, vel in nominibus poſſeſſionum abraſum ſit Privilegium, vel quodlibet aliud Inſtrumentum, aut Reſcriptum, in ſuſpicionem falſi propterea venire non debent, ut reſpondet *Alex. III.* c. *Ex litteris*, Ext. *De fide inſtrumentorum*. Paucarum litterarum raſuram in loco non ſuſpecto minime ſufficere ad Privilegium redarguendum falſitatis, reſpondet *Innocentius III.* c. *Ex conſcientia*, Ext. *De crimine falſi*. Multo minus reſcriptum vitiat unius litteræ defectus, ut reſpondet *Honorius III.* c. *Ex parte*, Ext. *De fide inſtrumentorum*.

REGULA XLVII.

Privilegia ſunt ſtricti juris: unde illorum tenor ita ſervandus eſt, ut eorum metas non tranſgrediantur illi, quibus conceſſa ſunt.

Hæc Regula nititur c. *Porro*, Ext. *de Privilegiis*, quod reſponſum eſt *Alex. III.* Ambianenſi Epiſcopo datum.

REGULA XLVIII.

Privilegia uni, vel certis quibuſdam perſonis conceſſa, ad alios non extenduntur propter paritatem rationis.

Hæc Regula nititur c. *Sane*, quod eſt *Alex. III.* eod. Tit. *Temerarium eſt*, inquit, *& indignum aliquem ſibi ſua auctoritate præſumere, quod Romana Eccleſia alicui, certa ratione inſpecta, ſingularibus voluit beneficiis indulgere.* Hinc Regula Juris 28. in Sexto; *Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* Et Regula 74. *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*

REGULA XLIX.

Innovatio Privilegii novum jus non tribuit, ſed antiquum conſervat.

Sic reſpondet *Innoc. III.* c. *Ex parte*, Ext. *De Privilegiis*, & c. *Quia intentionis*, eod. tit.

REGULA L.

Privilegio excidunt, qui annorum quadraginta ſpatio illo non ſunt uſi.

Id conſtat ex ejuſdem Pontificis Reſponſione, cap. *Accedentibus*, eodem Tit.

REGULA LI.

Exemptus ratione unius rei, vel loci, non cenſetur univerſim exemptus: verbi gratia, ſi quis exemptus ſit ab Epiſcopi Juriſdictione ratione Capellæ, vel Monaſterii, non cenſetur exemptus ratione Parochialis Eccleſiæ.

Id conſtat ex cap. *Cum Capella*, Extra. *De Privilegiis*.

REGULA LII.

Privilegium a Sede Apoſtolica conceſſum, Epiſcopali Juri non derogat, niſi in ipſis Privilegii litteris exprimatur.

Quare cum Viris Religioſis indultum eſſet, ut Eccleſias ad Monaſterium ſuum pertinentes, Rectoribus illarum e vita migrantibus, in proprios uſus convertere poſſent: ac dubitatum eſſet, utrum auctoritate propria illarum poſſeſſionem adire, an a Diœceſano Epiſcopo illas recipere deberent; reſpondit *Innocentius III.* cap. *Paſtoralis*, Ext. *De Privilegiis*, quod *Niſi forte indulgentia Summi Pontificis contineatur expreſſum, ſuo Epiſcopo inconſulto, in poſſeſſionem ipſarum eis non eſſe licitum introire: quia per indulgentiam hujuſmodi, Epiſcopali Juri non derogatur.*

REGULA LIII.

Privilegium a Sede Apoſtolica conceſſum quibuſcumque ſingularibus perſonis, Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus, cujuſcumque ſint dignitatis, ut excommunicari, vel interdici non poſſint, ad Ordinariorum Sententias non extenditur; niſi tale Privilegium conceſſum ſit Regibus, Reginis, vel ipſorum filiis, vel Religioſis Ordinibus, aut locis.

Ita declarat *Clemens IV.* Cap. *Ne aliqui*, Tit. *De Privilegiis*, in Sexto.

CAPUT II.

De Præceptis Decalogi generatim ſpectatis.

DEcalogus, Græca nominis origine, decem ſermones ſignificat. Hoc autem vocabulum Chriſtianorum uſu notat decem præcepta a Deo tradita, tabuliſque lapideis duabus inſculpta, quæ Ex. 34. Deut. 4. & 10. *Verba fœderis decem* appellantur, vulgata phraſi qua verbum pro ſermone integro, ſive ſententia, aut propoſitione uſurpatur, ut Luc. 1. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*: Et Matth. 15. *Scis, quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt.*

ARTICULUS PRIMUS.

Omnia Legis Naturæ Præcepta Decalogo continentur.

CUm Decalogus ad hoc datus a Deo ſit, ut lex Naturæ propemodum deleta in animis hominum reformaretur, & quodammodo reſculperetur, neceſſe fuit eo velut brevi compendio comprehendi, quicquid alibi ad legem naturæ pertinens præceptum, aut præcipiendum eſſet. Unde *S. Aug.* q. 140. in *Ex.* ait: *Cum tam multa locutus ſit Deus, duæ tantum tabulæ dantur Moyſi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ teſtimonii futuræ in Arca. Nimirum omnia cetera, quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conſcripta ſunt, pendere intelliguntur; ſi diligenter quærantur, & bene intelligantur: quomodo hæc ipſa rurſus decem præcepta ex duobus illis, dilectione ſcilicet Dei, & proximi, in quibus tota Lex pendet, & Prophetæ.*

Idem docet *S. Th.* 1. 2. q. 100. a. 3. *Illa*, inquit, *præcepta ad Decalogum pertinent, quorum notitiam homo habet per ſe ipſum a Deo. Hujuſmodi vero ſunt illa, quæ ſtatim ex principiis communibus primis cognoſci poſſunt modica conſideratione: & iterum illa, quæ ſtatim ex fide divinitus infuſa innoteſcunt. Inter præcepta ergo Decalogi non computantur duo genera præceptorum, illa ſcilicet, quæ ſunt prima, & communia, quorum non oportet aliquam editionem eſſe, niſi, quod ſunt ſcripta in ratione naturali, quaſi per ſe nota: ſicut quod homo nulli debet malefacere, & alia hujuſmodi. Et iterum illa, quæ per diligentem inquiſitionem Sapientum inveniuntur rationi convenire: hæc enim proveniunt a Deo ad populum mediante diſciplina Sapientum. Utraque tamen continentur in præceptis Decalogi, ſed diverſimode. Nam illa, quæ ſunt prima, & communia, continentur in eis ſicut principia in concluſionibus proximis: illa vero, quæ per Sapientes cognoſcuntur, continentur in eis ſicut concluſiones in principiis.*

ARTICULUS II.

Lege Decalogi Chriſtiani tenentur.

DEcalogus enim eſt explicatio legis naturæ: Omnes autem homines lege naturæ tenentur. Præterea legem Decalogi Chriſtus in Evangelio confirmavit, & ad vitam æternam conſequendam neceſſariam eſſe docuit, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Dicit illi: Quæ? Jeſus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem tuam: Et, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Et Matth. 5. *Nolite putare, quoniam veni ſolvere Legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.* Adimplet autem non tantum ſubminiſtrando Spiritum gratiæ, per quam lex a nobis impleatur; ſed & ſupplendo quædam, quæ in Lege Veteri minus expreſſa erant, qualis eſt odii, ac iræ compreſſio, convitiorumque, præcepto *Non occides*, contenta, ſed non explicata: & dilectio inimicorum, hoc involuta præcepto: *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: & fuga juramenti, comprehenſa hoc præcepto, *Non pejerabis*, ſive *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* Id confirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. *Circumciſio*, inquit, *nihil eſt; ſed obſervatio mandatorum Dei.* Quod vero eandem ſententiam repetit ad Galat. 6. & *Novam Creaturam in Chriſto Jeſu* tantum valere dicit, intelligimus plane eum novam creaturam in Chriſto dicere, qui mandata Dei ſervat, ac diligit Deum, Domino ipſo teſte apud Joannem cap. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Nam etſi juſtificari poteſt homo, & ex impio fieri pius, antequam ſingula legis præcepta externis actionibus impleat; tamen fieri non poteſt, ut quis per ætatem ratione utatur, & ex impio fiat juſtus, niſi animum habeat paratum ad omnia præcepta Dei ſervanda. Hinc *S. Aug.* q. 172. in Exodum, ait: Præcepta Decalogi, excepto Sabbato, *etiam in Novo Teſtamento obſervanda non dubitamus.* Sabbatum excipit, quia cæremoniale præceptum fuit: quod tamen nos etiamnum obligat, quatenus morale eſt, & ab Eccleſia ſervatur, commutatum in diem Dominicum.

Idem Fidei dogma confirmat Sacra Synodus Tridentina contra noviſſimi temporis Hæreſes, Seſſ. 6. Can. 19. *Si quis dixerit, Nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cetera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, Anathema ſit.*

Et Can. 20. *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam Mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum: quaſi vero Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis Mandatorum, Anathema ſit.*

Certiſſimum tamen eſt, (ut docet Concilii Catechiſmus) non propterea his præceptis parendum eſſe, quod per Moyſem data ſunt, ſed quod omnium animis ingenita, & per Chriſtum Dominum explicata ſunt, & confirmata.

ARTICULUS III.

Legis Decalogi obſervantiam ſuadet Auctoritas, & Beneficentia Dei, Chriſtique jubentis.

AD perſuadendum Chriſtianis Decalogi obſervantiam magnum habet momentum illa cogitatio, Deum eſſe, qui Legem illam tulit, de cujus ſapientia, & æquitate dubitare non poſſumus, nec ejus infinitam vim, atque potentiam effugere. Unde in ipſo Decalogi exordio ait: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Ex quibus intelligere debemus, nos Legiſlatorem habere Creatorem, a quo conditi ſumus, & conſervamur: proindeque nos illud uſurpare, Pſal. 94. *Ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus paſcuæ ejus, & oves manus ejus.* Nec ſolum Deum Creatorem, ſed & Redemptorem noſtrum eundem habemus Legiſlatorem, Chriſtum, de quo Moyſes Deut. 18. prædixit: *Prophetam de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus; Ipſum audies: qui autem verba ejus audire noluerit, Ego ultor exiſtam, ait Dominus*: Cui Pater Æternus obtemperari jubet, dicens: *Hic eſt Filius meus, ipſum audite*: Qui mandata a ſe tradita prædicari jubet Gentibus omnibus, ab illiſque ſervari, Matt. cap. ultimo: *Docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Sed & Apoſtolus ea, quæ Chriſtus agenda tradidit, *Legem Chriſti* appellat 1. Cor. 9. & ad Galatas 6. & *Domini mandata*, 1. ad Corinthios 6. Hinc paſſim in Scriptura Sacra Chriſtus non tantum vocatur *Doctor, Medicus, & Redemptor*; ſed etiam *Rex, Princeps, Dominus, Magiſter, Præceptor, & Pater noſter*: Quibus nominibus obedientiam abſolutiſſimam illi neceſſario debemus. Hinc Sacra Synodus Tridentina Seſſ. 6. Canone 21. *Si quis dixerit, Chriſtum Jeſum a Deo hominibus datum fuiſſe, ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legiſlatorem, cui obediant, Anathema ſit.*

His porro verbis *Ego ſum Dominus Deus tuus*, quæ Deus Decalogo præmittit, cum Majeſtatem, tum bonitatem ſuam proponit; quæ in Legiſlatore conjuncta eſſe oportet; ut Majeſtas Legibus auctoritatem, bonitas amorem obſervandæ legis apud ſubditos conciliet. Dominum ergo, & Deum ſe nuncupat, ut priori nomine Majeſtatem, altero bonitatem ſuam hominibus ſignificet, *Ego*, inquit, *& non alius*: Hoc eſt: Non ſum Dominus, ut ceteri, qui vulgari more Domini dicuntur, ſed vere ſum Dominus, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Cujus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus: Quem omnia obſervant, timent, venerantur: Omniſcius, & omnipotens, faciens omnia ſecundum beneplacitum voluntatis meæ. Ego ſolus Rex Regum, & Dominus dominantium, in cujus manu ſunt mors, & vita, ſalus, & interitus. Dominus, relativum nomen eſt. Dicitur enim Dominus ſervi Dominus. Domino ergo dominorum ſumma ſervitus debetur: eoque ſpectat, quod Chriſtus ait, Matth. 6. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Non poteſtis Deo ſervire, & Mammonæ.* Hinc ſequitur, Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus, cum diverſa a Dei inſtituto præcipiunt. Siquidem non habent homines poteſtatem, qua domini dicantur, niſi deſuper conceſſam, quaſi in Domini Dominorum contumeliam abutantur, audiendi non ſunt, ſed fortiter contemnendi, quemadmodum Chriſtus docet, Matth. 2. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Igitur ſi in quodcunque diſcrimen venerimus, ac diabolus nactus occaſionem, vel ipſe, vel per ſuos miniſtros titulo damnationis id agere incipiat, ut nos a præſcripto divinæ Legis dimoveat, tum exemplo Chriſti gladius Spiritus nobis accipiendus eſt, hoc eſt, verbum Dei, quo retundamus hoſtem, dicentes: *Vade poſt me Satana: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Dei Supremi Legiſlatoris majeſtas, & auctoritas.

Matt. 4.

Cum Majeſtatem ſuam hiſce verbis cœleſtis Legiſlator indicaſſet: *Ego ſum Dominus*: Bonitatem ſuam proponit, amoremque in ſe noſtrum excitat, addendo, *Deus tuus*: Deus (inquam) totius conſolationis, benevolus, mitis, liberalis, miſericors, beneficus, cujus bonitas in omnium creaturarum creatione, & conſervatione eluceſcit, cujus deliciæ eſſe cum filiis hominum, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hinc ſancti homines in divinæ bonitatis contemplatione defixi, ipſum appellarunt *Fortitudinem noſtram, Scutum noſtrum, Refugium noſtrum, Propugnatorem, Salutem ſuam, Exaltationem ſuam, Deum cordis ſui, Deum noſtrum, Adjutorem ſuum, Gloriam & laudem ſuam*; quod ſic apud ſe de Deo ſentirent; immo, quod experti eſſent Deum illis hæc omnia eſſe.

Addit ad beneficentiæ ſuæ commendationem: *Qui eduxi te de Terra Ægypti; & de domo ſervitutis.* Quod beneficium etſi Judæis tantum videtur convenire ab Ægyptiorum dominatione liberatis: tamen ſi ſalutis noſtræ interiorem rationem ſpectemus, quam Deus miſſo propter nos Filio ſuo per illum operatus eſt, multo magis ad Chriſtianos homines pertinet; qui non ex Ægyptiaca ſervitute, ſed e peccati, & umbræ mortis regione, ac poteſtate tenebrarum a Deo erepti, atque in Regnum Filii dilectionis ejus tranſlati ſunt. Cujus beneficii magnitudinem conſiderans *Jeremias*, prædixit illud cap. 16. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultra: Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de Terra Ægypti, ſed Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de Terra Aquilonis, & de univerſis terris, ad quas ejeci eos; & reducam eos in Terram ſuam, quam dedi Patribus eorum. Ecce ego mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos.* Pater enim indulgentiſſimus per Filium ſuum, *filios qui erant diſperſi, congregavit in unum*, ut jam *liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, ſerviamus illi in ſanctitate, & juſtitia omnibus diebus noſtris: habeamuſque fructum noſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.*

Dei ſupremi Legiſlatoris bonitas, & amor in homines.

Joan. 11. 15.

Rom. 6. 22.

Luc. 1.

Quare (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) Fideles omnibus tentationibus tanquam clypeum opponent illud Apoſtoli, *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Jam non ſumus noſtri, ſed ejus qui pro nobis *mortuus eſt, & reſurrexit, & ut mortuorum & vivorum dominator.* Ipſe eſt Dominus Deus noſter, qui nos ſanguine ſuo ſibi acquiſivit: quomodo peccare poterimus in Dominum Deum noſtrum, ipſumque iterum cruci affigere? Ut igitur vere liberi, & ea quidem libertate, qua nos Chriſtus liberavit, *Sicut exhibuimus membra noſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibeamus membra noſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Cum Propheta clamemus ad Dominum, *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me; Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* Nam mandata Dei multi diſcunt, & non

Clypeus omnibus tentationibus opponendus.

Rom. 6.

Rom. 14.

1. Cor. 5.

Rom. 14.

Pſ. 118. 71.

non diſcunt, *Noverunt enim ea quadam notitia, & rurſus quadam ignorantia, quoniam non faciunt, non noverunt.* Eo modo ergo dixit, *Ut diſcam mandata;* Ea ſcilicet *notitia, qua fiunt. Hoc autem non fit niſi per dilectionem, ubi qui facit, habet delectationem. Non autem parvi eſt intellectus, noſſe a quo poſcendus ſit intellectus. Et cogitandum eſt, quanto ſint altius intelligenda divina mandata; quando ad ea diſcenda ſibi adhuc dari intellectum petit, qui jam ſic intelligit, & qui eloquia Dei ſe cuſtodiſſe ante jam dixit.* Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me; Da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua: Quia *tu*, inquit, *formaſti, tu reforma: ut fiat in corpore Chriſti, quod ait Apoſtolus,* Reformamini

Rom. 12.

In novitate ſenſus veſtri. Ita locum illum commentatur *S. Aug.* Sermonibus 17. 18. & 19. in illum Pſalmum. Dicamus cum Propheta: *Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Cur non dixit, *obedivi*, ſed *Credidi?* Alia ſunt enim mandata, alia promiſſa. Mandata facienda præcipimur, ut promiſſa implere mereamur. Promiſſis ergo credimus, mandatis obtemperamus. Quid eſt ergo, *Mandatis tuis credidi?* niſi, Credidi, quod tu illa mandaveris, non aliquis homo, quamvis per homines hominibus miniſtrata ſint. *Quia itaque credidi tua eſſe mandata, ipſa fides mea, qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua faciam, quod mandaſti. Si enim homo mihi hoc juberet foris ſecus, numquid ut etiam facerem, quod jubeat, adjuvaret intrinſecus; Doce ergo me ſuavitatem, inſpirando caritatem; doce me diſciplinam, donando patientiam; doce me ſcientiam, illuminando intelligentiam.* Quoniam mandatis tuis credidi. *Te illa credidi mandaſſe, qui Deus es, & homini donas, unde facias eum facere, quod mandas.*

ARTICULUS IV.

Obſervantiam Decalogi ſuadet facilitas adimplendi mandata Dei.

MAndata Dei eſſe impoſſibilia, nemo niſi Hæreticus dixerit; nulla blaſphemia cum verbo Dei tam aperte pugnat. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie* (inquit Deus Deut. 30.) *non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in Cælo ſitum, ut poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad Cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos & audiamus, atque opere compleamus; Neque trans Mare poſitum, ut cauſſeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare Mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire, & facere, quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Ait Chriſtus, Matt. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Hanc doctrinam S. *Jo:* confirmat Ep. 1. c. 5. *Hæc eſt enim caritas Dei*, inquit, *ut Mandata ejus cuſtodiamus: & Mandata ejus gravia non ſunt.*

Verum (inquies) ſi tam levia ſunt Chriſti præcepta, cur Chriſtus ipſe dixit Matt. 7. 14. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* Cur vias Domini, *Vias duras* appellat David Pſalmo 16.

Pſal. 18.

Reſpondetur cum SS. Patribus, Laborioſam, ac difficilem Dei viam, duraque videri mandata, non ex ipſorum natura, ſed hominum cupiditatibus ſuis indulgentium ignavia. Quid enim melle dulcius? Ægroto tamen amarum ſæpius videtur. Sic mandata Dei *Dulciora ſuper mel, & favum:* ſed hominibus, qui terrenarum cupiditatum deſideriis guſtum interiorem infectum habent, & peccatorum morbis laborant, amara ſunt. Hinc *S. Jo: Chryſ.* in Pſ. 111. hæc Prophetæ verba expendens, ait: *In mandatis ejus volet nimis*, ait: *Amor in Legislatorem, facilem, & gratam facit Legem, etſi videatur aliquam habere difficultatem. Nemo autem, quod dico, reprehendat, ſi tali exemplo uſus ſum. Nam Paulus quoque eo uſus eſt, ſic dicens:* Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, ita exhibete juſtitiæ. *Qui meretricis itaque amore captus eſt, etiamſi afficiatur probro, & contumelia, etiamſi verberetur, etiamſi ſe turpiter, & indecore gerat, etiamſi expellatur e patria, etiamſi bonis paternis evertatur, etiamſi patris benevolentia privetur, etiamſi graviora patiatur, ea fert jucunde, & libenter propter amorem impudicum. Quod ſi illa cum voluptate ſuſcipiunt, quomodo non multo magis Dei præcepta, quæ ſunt ſalutaria, & gloria plena, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate ſuſcipere, & nihil eſſe difficile in eis exiſtimare? Difficultatem enim non natura præceptorum, ſed multorum ſolet ſocordia efficere. Itaque ſi quis ea cum ſtudio, & alacritate animi ſuſcipiat, videbit ea eſſe levia, & facilia. Quocirca dicebat Chriſtus:* JUGUM *meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

Amor in Legislatorem facilem & gratam facit legem.

Rom. 6. 115.

Matt. 12. 30.

Et *S. Aug.* hanc Salvatoris noſtri Sententiam exponens Ser. 70. alias 9. *De Verbis Domini*, c. 2. " Caritate levia fieri
" Chriſti mandata oſtendit. Secari (inquit) & uri ſe homi-
" nes patiuntur, ut dolores non æterni, ſed aliquanto diu-
" turnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. In
" languida, & incerta vacationis breviſſimæ, atque ultimæ
" vitæ, immaniſſimis bellis miles atteritur; pluribus fortaſ-
" ſe annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus.
" Quibus tempeſtatibus, & procellis, quam horribili, & tre-
" menda ſævitia Cœli, & Maris importuni ſunt Mercato-
" res, ut divitias ventoſas acquirant, majoribus, quam qui-
" bus acquiſitæ ſunt, periculis, & tempeſtatibus plenas?
" quot æſtus, quæ frigora, quæ pericula ab equis, a foſſis,
" a præcipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores,
" quem laborem eſuriendi, & ſitiendi, quantas viliſſimi, &
" ſordidiſſimi cibi, & potus anguſtias, ut beſtiam capiant?
" & interdum, nec ipſius beſtiæ carnes, propter quam hæc
" tanta ſuſtinent, ſunt epulis neceſſariæ. Quamquam etſi
" aper, cervuſque capiatur, magis ſuave ſit venantis animo,
" quia captus eſt, quam comedentis palato, quia coctus eſt.
" Quantis etiam cruciatibus prope quotidianarum plagarum
" tenera puerorum ætas ſubditur? Quantis etiam in Scholis
" vigiliarum, & abſtinentiæ moleſtiis exercentur, non pro-
" pter diſcendam ſapientiam, ſed propter opus, honoreſque
" vanitatis, ut numeros, & litteras, & diſertas fallacias elo-
" qui diſcant? ſed in his omnibus, qui hæc non amant,
" eadem gravia patiuntur: qui vero amant, eadem quidem,
" ſed ſe non gravia pati videntur. *Omnia enim ſæva, &
" immania, prorſus facilia, & prope nulla efficit amor. Quanto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinem caritas facit, quod ad miſeriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Quam facile toleratur qualibet adverſitas temporalis ut æterna pœna vitentur, & æterna requies comparetur? Non immerito ille Vas electionis cum ingenti lætitia dixit:* Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Ecce unde illud jugum ſuave eſt, & ſarcina levis. Et ſi anguſta eſt paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Pſalmiſta,* Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. *Sed quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem ipſis miteſcunt amantibus.* Et infra: *Nihil* (inquit) *tam facile eſt bonæ voluntati, quam ipſa ſibi: & hæc ſufficit Deo.*

Rom. 8. 18. Lex Dei facilis diligentibus. Pſal. 16. 4.

Hinc Propheta ait, Pſal. 30. verſ. 9. *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Quæ verba *S. Auguſtinus*, Enarratione 2. in hunc Pſalmum ita commentatur: *Certe anguſta via eſt: laboranti anguſta eſt, amanti lata eſt. Eadem quæ anguſta eſt, lata fit.* In ſpatioſo, *dicit*, poſuiſti pedes meos. *Plane feciſti mihi facilem juſtitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis.*

Via ſalutis anguſta laboranti, lata amanti.

Et in Pſal. 59. *Humeros pios quærebat*, inquit, *cum diceret*, Jugum enim meum lene eſt, & ſarcina mea levis eſt. *Alia ſarcina premit, & aggravat te, Chriſti autem ſarcina ſublevat te: alia ſarcina pondus habet, Chriſti ſarcina pennas habet. Nam & avi ſi pennas detrahas, quaſi onus tollis; & quo magis onus abſtuliſti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluiſti, jacet: non volat, quia tuliſti onus: redeat onus, & volat. Talis eſt Chriſti ſarcina: portent illam homines, non ſint pigri: non attendantur, qui eam ferre nolunt; ferant illam, qui volunt, & invenient, quam ſit levis, quam ſuavis, quam jucunda, quam rapiens in cœlum, & a terra eripiens.*

Sarcina Chriſti ſublevat.

Matth. 11.

Idem Ep. 127. alias 45. ad *Armentarium*, & *Paulinam*, cap. 3. *Ibi labor* (inquit) *ubi multa quæruntur, & diliguntur, quibus adipiſcendis, atque retinendis voluntas non ſatis eſt, quia conſequentem non habet facultatem. Juſta vero vita, cum volumus, adeſt, quia eam ipſam plane velle, juſtitia eſt; nec plus aliquid perficienda juſtitia, quam perfectam voluntatem requirit. Vide ſi labor eſt, ubi velle ſatis eſt. Unde divinitus dictum eſt*, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis. *Ubi pax, ibi requies, ibi finis appetendi, & nulla cauſſa laborandi. Sed hæc voluntas, ut plena ſit, oportet, ut ſana ſit. Erit autem ſana, ſi Medicum non refugiat, cujus ſolius gratia ſanari poteſt a morbo deſideriorum noxiorum. Ipſe eſt ergo Medicus, qui clamat*, Venite ad me omnes, qui laboratis, *jugum ſuum lene, & onus leve dicens: quia diffuſa per Spiritum Sanctum caritate in cordibus noſtris, profecto amabitur, quod jubetur, & non erit aſperum, nec oneroſum, ſi ſub hoc uno jugo, quanto minus tumida, tanto magis libera cervice ſerviatur. Et hæc eſt una ſarcina, qua ejus bajulus non premitur, ſed levatur.*

Juſta vita, cum volumus, adeſt.

Luc. 2.

Libro denique *De Perfectione Juſtitiæ hominis*, cap. 10. Mandatorum Dei facilitatem caritati, & gratiæ tribuendam eſſe probat: cum illa ſolis liberi arbitrii viribus homo adimplere non poſſit. *Quis neſciat*, inquit, *cum præceptum ſit generale caritas (quia finis præcepti eſt caritas, & plenitudo Legis eſt caritas) non eſſe grave, quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere: ſed perfecta caritas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam, non ſolum non prementem onere ponderum, verum etiam ſublevantem vice pennarum.*

Non eſt grave, quod diligendo fit, non timendo.

ARTICULUS V.

Obſervantiam Decalogi ſuadent fructus, qui ex illa derivantur, & merces a Deo promiſſa.

Pſal. 18. 18.

FRuctus uberes, ac ſuaves ex obſervantia Mandatorum Dei percipiuntur. Primo namque anima Dei voluntatem cognoſcendo, eique obſequendo, ad Deum convertitur, ut ait Propheta Pſal. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Deinde, veram ſapientiam conſequimur per obſervationem divinæ legis. Soli enim timentes Deum vere ſapientes ſunt. *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Tertio, veris gaudiis, & Myſteriorum divinorum cognitione, ingentibus præterea voluptatibus, ac incomparabilibus deliciis in hac vita cumulantur, qui divina mandata obſervant. *Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Judicia*, ſeu mandata Domini *deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & favum.* Denique mercedem copioſiſſimam, æternamque gloriam ſervantibus Mandata ſua Deus pollicetur: *In cuſtodiendis illis retributio multa.* Non enim tantum illæ nobis benedictiones promiſſæ ſunt quæ ad terrenam magis felicitatem ſpectare videbantur, ut benedicti ſimus in civitate, benedicti in agro; ſed *Copioſa merces in cœlis, & menſura bona, conferta, coagitata, & ſupereffluens* in ſinu noſtro, propoſita eſt, quam piis, & juſtis actionibus meremur, divinæ miſericordiæ adjumento. Nobis repoſitum eſt præmium, non temporale, ſed æternum, ſicut ſcriptum eſt. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Unde idem Apoſtolus ait: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt.* Merces illa æterna Dei mandata ſervantibus parata, Regnum eſt illis ab origine Mundi paratum; viſio Dei, ſive Deus ipſe viſus ſicuti eſt; amor Dei indeficiens; perenne gaudium Domini, quod intrare non dicitur in cor hominis, ſed homo in illud intrare dicitur, quia corde hominis majus eſt: *Intra in gaudium Domini tui.* Fons jugis eſt, immo torrens deliciarum. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* In hoc autem maxime ſuam in nos clementiam, & ſummæ bonitatis divitias Deus oſtendit, quod cum ſine ullo præmio cogere nos potuiſſet, ut ſuæ gloriæ ſerviremus: voluit tamen ſuam gloriam cum utilitate noſtra conjungere: ut quod homini utile, idem eſſet Deo glorioſum. Unde Spiritu Sancto afflatus David ait: *Inclinavit cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Quæ retributio non alia præter Deum ipſum eſt. *Qui dicit*, Inclinavi cor meum: *ipſe jam dixerat*, Inclina cor meum in teſtimonia tua: *Ut intelligamus ſimul hoc eſſe & divini muneris, & propriæ voluntatis. Sed nunquid in æternum facturi ſumus juſtificationes Dei? Opera illa quidem, quæ operamur circa proximorum neceſſitates, æterna eſſe non poſſunt, ſicut nec ipſæ neceſſitates: ſed ſi non diligendo iſta faciamus, nulla eſt juſtificatio: ſi autem diligendo, æterna eſt ipſa dilectio, eique æterna parata eſt retributio: propter quam retributionem dicit ſe inclinaſſe cor ſuum ad faciendas juſtificationes Dei, ut in æternum diligens, in æternum mereatur habere, quod diligit.* Verba ſunt *S. Auguſt.* Serm. 23. in Pſal. 118.

Matth. 5.

Iſa. 64. 1. Cor. 2. 2. ad Cor. 4.

Matth. 25. Pſal. 35.

Deus optimus gloriam ſuam cum utilitate noſtra conjunxit.

Pſal. 118.

Deſiderio retributionis quæ non alia eſt præter Deum, eſſe mandata Dei obſervanda.

Non tamen igitur noſtræ utilitatis gratia, quam Dei cauſſa nobis Lex Dei ſervanda eſt, qui hominum generi in Lege voluntatem aperuit: quam cum ceteræ creaturæ ſequantur, hominem ipſum eandem ſequi multo eſt æquius: ſed tamen intuitu retributionis, quæ Deus ipſe eſt, ejus mandata ſervat caſtus amor.

ARTICULUS VI.

In duobus præceptis Caritatis cetera continentur.

ITa docet Chriſtus, Matth. 23. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum: in his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.* Porro duplici ratione a præceptis caritatis cetera pendere dicuntur: primo quia per caritatem implentur omnia, ſecundum illud Apoſtoli: *Plenitudo Legis eſt dilectio:* Et, *Qui diligit proximum, Legem implevit.* Secundo, quia omnia quodammodo in his duobus præceptis continentur, ex iiſque eliciuntur, vel ad eorum obſervationem referuntur. In priori ſcilicet mandato comprehenduntur quæcunque erga Deum; in poſteriori vero quæcunque erga proximum, & conſequenter erga nos ipſos recte nos ordinant, atque inſtituunt. Nec ſolum in illis duobus mandatis conjunctim, ſed & ſeorſim ſumptis totam Legem, ac Prophetas pendere, Sacræ Litteræ docent: quia alterutrius præcepti obſervatio abſque obſervatione, ſive propenſione, & præparatione animi ad alterum obſervandum eſſe non poteſt. Nemo enim Deum, ut oportet, diligit, niſi mandatis ejus obtemperet, quorum unum eſt, ut proximus diligatur. Nemo etiam proximum, ſicut diligendus eſt, diligit, ideſt, propter Deum, niſi Deum diligat tanquam finem, quo proximi dilectionem referat. Quod autem non ſolum in priore, ſed etiam in poſteriore præcepto caritatis, cetera omnia pendeant, Chriſtus ipſe docet (Matth. 7.) *Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.* Idemque confirmat Apoſtolus ad Rom. 13. *Qui diligit proximum*, inquit, *Legem implevit. Nam: Non adulterabis: non occides: non furaberis: non falſum teſtimonium dices: non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur; Diliges proximum tuum ſicut teipſum.... Plenitudo ergo Legis eſt dilectio.* Et ad Gal. 5. *Omnis Lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.*

Rom. 13. 16.

Qua ratione nova lex dilectionis

proximi impleatur.

Ratio porro cur Apoſtolus in his duobus locis conſummationem Legis in ſola proximi dilectione conſtituerit, hæc eſt (inquit *S. Auguſt.* in cap. 5. Epiſtolæ ad Galatas.) *Quia de dilectione Dei poſſunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt. Conſequens eſt autem, ut qui ex toto corde, & ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat & proximum tanquam ſeipſum: quia hoc jubet ille, quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, ideſt, omnem hominem tanquam ſeipſum, quis poteſt, niſi Deum diligat, cujus præcepto, & dono dilectionem proximi poſſit implere? Cum ergo utrumque præceptum ita ſit, ut neutrum ſine altero poſſit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque ſufficit, cum agitur de operibus juſtitiæ; ſed opportunius illud, de quo quiſque facilius convincitur. Unde Joannes dicit.* Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, quem non videt, quomodo poteſt diligere? *Mentiebantur enim quidam dilectionem ſe Dei habere; & de odio fraterno eam non habere convincebantur; de quo judicare in quotidiana vita, & moribus facile eſt.*

1. Joan. 4.

Ceterum qua ratione in duobus præceptis caritatis reliqua contineantur, diſerte idem *S. Aug.* explicat, Lib. *De Perfectione Juſtitiæ hominis*, cap. 5. *Dominus*, inquit, *qui verbum conſummans, & brevians fecit ſuper terram, in duobus præceptis dixit Legem, Prophetaſque pendere; ut intelligeremus, quicquid aliud divinitus præceptum eſt, in his duobus habere finem, & ad hæc duo eſſe referendum;* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum tanquam te ipſum. In his, *inquit*, duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. *Quicquid ergo Dei Lege prohibemur, & quicquid jubemur facere, ad hoc prohibemur, & jubemur, ut duo iſta compleamus. Et forte generalis prohibitio eſt:* Non concupiſces: *& generalis juſſio:* Diliges. Denique *Scriptura non præcipit niſi paritatem, non damnat, niſi cupiditatem, & ita informat mores hominum.* Et, *ille tenet, & quod patet, & quod latet in divinis ſermonibus, qui caritatem tenet in moribus*, (inquit *S. Auguſtinus.*)

Ex. 2. 17. Deut. 6. 5.

S. Aug. ſer. 350. alias de Tempore 20.

ARTICULUS VII.

Divina Mandata ex dilectione Dei fieri debent.

Rom. 13. 10.

DIlectione Dei Legem ejus impleri, docet Apoſtolus: *Plenitudo*, inquit, *Legis, dilectio.* Et ſine aliqua juſtitiæ dilectione, ſive caritate, ſaltem inchoata, nullum Dei mandatum impleri, ut oportet, Chriſti Domini ſententia probat, *Joan.* 14. dicentis: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.*

Id *S. Auguſt.* locis propemodum infinitis docet, præcipue Lib. *De Spiritu, & Littera*, c. 14. *Mandatum*, inquit, *ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit. Non enim fructus eſt bonus, qui de caritatis radice non ſurgit.*

Et Lib. 3. *Contra duas Epiſtolas Pelagianorum*, c. 4. de vulgo Judæorum loquens: *Quicunque*, inquit, *terrenorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta ſervabant, non ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis. Sic autem præcepta, qui facit, proculdubio invitus facit; ac per hoc in animo non facit; magis vult enim omnino non facere, ſi ſecundum ea, quæ cupit, & metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, ubi ipſe, qui præcipit, inſpicit Deus.*

Mandata Dei ſerviliter implentur, cum ſolo pœnæ timore fiunt.

Libro *De Gratia Chriſti*, c. 26. *Quid boni faceremus*, inquit, *niſi diligeremus? Aut quo modo bonum non facimus, ſi diligamus? Etſi enim Dei mandatum videtur aliquando a non diligentibus, ſed a timentibus fieri; tamen ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur; nec recte bonum vocatur.*

Sine Dei amore nullum bonum opus imputatur.

Enchiridii c. 121. *Omnia igitur præcepta divina referuntur ad caritatem, de qua dicit Apoſtolus:* Finis autem præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. *Omnis itaque præcepti finis eſt caritas, ideſt, ad caritatem refertur omne præceptum. Quod vero ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Caritas quippe iſta Dei eſt, & proximi; & utique,* In his duobus præceptis tota Lex pendet, & Prophetæ. *Adde Evangelium, adde Apoſtolos: non enim aliunde vox iſta eſt,* Finis præcepti eſt Caritas; *&*, Deus Caritas eſt. Quæcunque ergo mandat Deus, *ex quibus unum eſt*, Non mœchaberis, *& quæcunque non jubentur, ſed ſpiritali conſilio mo-*

1. Tim. 1.

Omnia Dei præcepta ad caritatem referuntur.

1. Tim. 11. 1. Joan. 4. Matt. 5. 1. Cor. 9.

monentur, ex quibus unum eſt, Bonum eſt homini mulierem non tangere, *tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum.*

Sola caritas cantat canticum novum.

Et Serm. 33. alias 17. *De Diverſis*, c. 1. *Caritas ergo cantat canticum novum. Non timor ille ſervilis in veteri homine conſtitutus, poteſt quidem habere Pſalterium decem chordarum, quia & Judæis carnalibus data eſt ipſa Lex decem præceptorum; ſed cantare in illa non poteſt canticum novum. Sub Lege eſt enim, & implere non poteſt Legem. Organum ipſum portat, non tractat, & oneratur. Pſalterio non ornatur. Qui autem ſub Gratia eſt, non ſub Lege, ipſam implet Legem; quia non eſt ei pondus, ſed decus; nec timenti tormentum eſt, ſed amanti ornamentum. Spiritu enim dilectionis accenſus, jam in Pſalterio decem chordarum cantat canticum novum.*

Præceptum caritatis homo non implet, niſi omnia opera ſua ad Deum referat.

Id confirmat *S. Th.* 1. 2. q. centeſima, art. 10. *In hoc* (inquit) *Præcepto*, Honora patrem, *non includitur, quod honoretur pater ex caritate, ſed ſolum, quod honoretur pater; unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur tranſgreſſor hujus præcepti, etſi ſit tranſgreſſor præcepti, quod eſt de actu caritatis; propter quam tranſgreſſionem meretur pœnam.* Et in Reſponſione ad ſecundum; *Sub præcepto caritatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Et ideo præceptum caritatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo, qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt*, Honora parentes; *ſed ex vi hujus præcepti*, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

ARTICULUS VIII.

De ordine Præceptorum Decalogi.

Exod. 24.

DEcem Dei Præcepta in duabus tabulis lapideis ſculpta fuerunt, quæ ſic diſtinguenda ſunt, ut prima tabula tria complectatur Deum ſpectantia: ſecunda ſeptem ad proximum pertinentia. Trium Deum ſpectantium primum eſt: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Secundum. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* Tertium, *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices*. Septem reliqua ad proximum pertinent. Quartum ſcilicet: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quintum, *Non occides*. Sextum, *Non mœchaberis*. Septimum, *Non furtum facies*. Octavum, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Nonum, *Non concupiſces uxorem proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* Et ſane convenienter admodum in prima tabula tria ſunt præcepta Deum ſpectantia, quia Trinitatem inſinuare videntur diligentius intuentibus. Nam in Deo Patre primo apparet unitas, quæ primo præcepto commendatur, dum multitudo Deorum rejicitur. Filius veritas eſt, de qua in ſecundo præcepto prohibente perjurium. Spir. Sanctus ſanctificatio, & requies eſt rationalis creaturæ, cujus meminit tertium præceptum. Ita docet *S. Aug.* q. 71. in *Exodum*, Serm. 10. *De decem Chordis*, & alibi, & poſt ipſum *S. Th.* 1. 2. q. centeſima, art. 4. Quamobrem minus appoſite *Origenes* quatuor præcepta ad primam tabulam pertinere ſcripſit, ſex vero ad ſecundam, ſeparans, quod dictum eſt: *Non erunt tibi Dii alii præter me.* Ut aliud præceptum ſit, *Non facies tibi ſculptile*, ubi figmenta colenda prohibentur. Unum vero eſſe volens, *Non concupiſces uxorem proximi tui, Non concupiſces domum proximi tui.* Duo autem illa poſtrema præcepta diſtincta ſunt a ſexto, *Non mœchaberis*; & ſeptimo, *Non furtum facies*: Quia in prioribus *illis duobus præceptis, non mœchandi, & non furandi, ipſa opera notata ſunt: in his vero extremis ipſa concupiſcentia; quæ tantum differunt, ut aliquando mœchatur, qui non concupiſcit uxorem proximi, cum alia aliqua cauſſa illi miſcetur; aliquando autem concupiſcat, nec ei miſceatur, pœnam timens. Et hoc fortaſſe Lex oſtendere voluit, quod utraque peccata ſint*; (inquit *S. Aug.* qu. 70. *in Exodum.*)

Denarii numeri divinorum præceptorum convenientia.

„ Convenientiam denarii numeri divinorum præceptorum hac ratione *S. Th.* explicat. Præcepta Legis divinæ ordinant hominem ad quandam Communitatem, ſeu Rempublicam hominum ſub Deo. Ad hoc autem, quod aliquis in aliqua Communitate bene commoretur, duo requiruntur; quorum primum eſt, ut bene ſe habeat ad eum, qui præeſt communitati: aliud ut bene ſe habeat ad alios communitatis conſocios, & comparticipes. Oportet igitur, quod in Lege divina primo ferantur quædam præcepta ordinantia hominem ad Deum: & inde alia quædam præcepta ordinantia hominem ad alios proximos ſimul convenientes ſub Deo. Principi autem communitatis tria debet homo: primo, fidelitatem, ſecundo reverentiam, tertio famulatum. Fidelitas quidem ad Dominum in hoc conſiſtit, quod honorem Principatus ad alium non deferat: in quantum ad hoc accipitur primum præceptum, cum dicitur: *Non habebis Deos alienos*. Reverentia autem ad Dominum requirit, ut nihil injurioſum in eum committatur: & quantum ad hoc accipitur ſecundum præceptum: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Famulatus autem debetur Domino in compenſationem beneficiorum, quæ ab ipſo percipiunt ſubditi; & ad hoc pertinet tertium præceptum *de ſanctificatione Sabbati* in memoriam creationis rerum.

„ Ad proximos autem aliquis bene ſe habet, & ſpecialiter, & generaliter. Specialiter quidem, quantum ad illos, quorum eſt debitor, ut eis debitum reddat: & quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione parentum. Generaliter autem quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoque in propriam perſonam, quantum ad conſiſtentiam perſonæ, & hoc prohibetur per hoc, quod dicitur: *Non occides*: Quandoque autem in perſonam conjunctam, quantum ad propagationem prolis: & hoc prohibetur, cum dicitur: *Non mœchaberis*: Quandoque autem in rem poſſeſſam, quæ ordinatur ad utrumque, & quantum ad hoc dicitur: *Non furtum facies*. Nocumentum autem oris prohibetur, cum dicitur: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Nocumentum cordis prohibetur, cum dicitur: *Non concupiſces*.

„ Et ſecundum hanc etiam differentiam poſſent diſtingui tria præcepta ordinantia in Deum; quorum primum pertinet ad opus; unde dicitur: *Non facies ſculptile*. Secundum ad os, unde dicitur: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Tertium pertinet ad cor: quia in ſanctificatione Sabbati, ſecundum quod eſt morale præceptum, præcipitur quies cordis in Deum.

CAPUT III.

De primo Decalogi præcepto.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicantur hæc verba, Non habebis Deos alienos coram me.

§. I. *Deus colitur Fide, Spe, Caritate.*

IN his verbis (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) duplex continetur præceptum, quorum alterum jubendi, alterum prohibendi vim habet. Nam quod dicitur, *Non habebis Deos alienos coram me*, hunc ſenſum habet: Me verum Deum coles; alienis Diis cultum non exhibebis. In priori continetur præceptum fidei, ſpei, & caritatis. Cum enim Deum immobilem, incommutabilem, fidelem, & abſque ulla iniquitate, veracem, immo ſummam, & primam Veritatem, qui ſeipſum negare non poteſt, qui nec falli poteſt, nec fallere, confitemur; neceſſe eſt, ut ejus verbo, atque oraculis, ac revelantis auctoritati fidem tribuamus. Unde *Eccl.* 2. dicitur; *Qui timetis Dominum, credite illi.* Qui vero omnipotentiam Dei, clementiam, & ad benefaciendum facilitatem, ac propenſionem conſiderat, promiſſaque magnifica futurorum bonorum, hereditatis incorruptibilis, Regni cœleſtis, æternæque vitæ in illius fruitione ſempiterna repoſitæ, quorum promiſſorum pignus nobis dedit Filium ſuum unigenitum, cui *propter nos non pepercit*, & qui cum *nobis omnia donavit*; & Sp. Sanctum, *Teſtimonium reddentem ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus, & heredes*; de quo Apoſtolus ſcribit: *Dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*: nonne ſpes omnes ſuas in illo collocare tenetur? Rom. 8.
Unde *Pſ.* 61. ſcriptum eſt: *Sperate in eo omnis congregatio Populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adjutor noſter in æternum.* 2. Cor. 1. & 5.
Et Eccl. 2. *Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia... Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt? Aut quis invocavit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius, & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate...* Si vero bonitatis, ac dilectionis Dei effuſas in nos divitias contemplemur, qui *Prior dilexit nos*; illum ne poterimus non amare? Unde *Eccl.* 2. dicitur: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Et Matth. 22. Chriſtus ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum.* Deus ergo colendus eſt *Fide, Spe, Caritate*; (inquit *S. Aug.* Enchiridii c. 3.) Sed caritate præſertim, quæ trium horum major eſt. Hic eſt *Dei cultus*, inquit *S. Aug.* Lib. 10. *De Civitate Dei*, c. 3. *hæc vera Religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ſervitus.* Et Ep. 140. alias 120. c. 18. explicans hæc verba Pſ. 21. *Qui timetis Dominum, laudate eum*, ait: *Quis veraciter laudat, niſi qui ſinceriter amat? Tantundem ergo eſt, ac ſi diceret. Qui timetis Dominum, amate eum. Dixit enim homini, ſicut ſcriptum eſt*, Ecce pietas eſt ſapientia. *Porro pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando.* Et Enarratione in Pſal. 77. *Hoc colitur, quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major, & melior invenitur, plus omnibus diligendus eſt ut colatur.*

1. Joan. 4.

Deus non colitur niſi amando.

Job 28. 28. ſecundum LXX.

§. II.

§. II. *Religio circa cultum Deo debitum verſatur.*

AD colendum Deum homines inclinat Religio. Hæc enim eſt Virtus Moralis, qua Deo cultum, & honorem exhibemus, ipſi tamquam ſupremo omnium rerum principio, & ultimo fini debitum. Religio dicta eſt, ſive a relegendo, quod ea, quæ ſunt divini cultus frequenter ſint in corde revolvenda, & quaſi relegenda, ſecundum illud Prov. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum*; vel ab iterata electione Dei, quem peccantes amiſeramus: vel quod religet nos uni omnipotenti Deo. Quæcumque autem ſit origo nominis, *Religio proprie importat ordinem ad Deum* (inquit *S. Th.* 2. 2. qu. 81. art. 1.) *Ipſe enim eſt, cui principaliter religari debemus, tanquam indeficienti principio: ad quem etiam noſtra electio aſſidue dirigi debet, ſicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, & credendo, ac fidem proteſtando recuperare debemus.* Non eſt Virtus Theologica, quia circa Deum ipſum, ut proprium objectum immediate non verſatur, ſicut fides, ſpes, caritas; ſed circa cultum, & honorem Deo debitum; ſed Moralis, pars ſcilicet juſtitiæ, omniumque Moralium Virtutum præſtantiſſima, cum per eam propinquius ad Deum accedamus.

§. III. *Qui ſint actus interni Religionis.*

ACtus Religionis alii ſunt interni, alii externi. Interni præcipui ſunt; externi vero quaſi ſecundarii, & ad internos ordinati. Interni ſunt, *Devotio*, & *Oratio*.

Quid ſit Devotio.

Devotio eſt pius, & humilis affectus in Deum: Humilis ex conſcientia infirmitatis propriæ, pius ex conſideratione divinæ clementiæ. Ita definit Auctor Lib. *De Spiritu, & Anima*, inter Opera *S. Auguſtini* editi, c. 5. Sive eſt *Voluntas prompte tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum*; ut definit *S. Thom.* 2. 2. q. 82. art. 1.)

Quid Oratio.

Oratio eſt mentis ad Deum elevatio, ſive *Petitio decentium a Deo, cum quadam mentis elevatione.* Quæ definitio ex *S. Jo. Damaſceno* Lib. 3. *De Fide Orthodoxa*, c. 24. ſumpta eſt. Eſt proprie Religionis actus, quia *Per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum ei ſe ſubjicit, & profitetur orando, ſe eo indigere ſicut Auctore ſuorum bonorum* (inquit *S. Th.* 2. 2. q. 83. art. 3.) De Oratione ſpeciatim agemus in poſtrema hujus Theologiæ Parte.

§. IV. *Qui actus externi Religionis.*

Actus externi religionis ab internis ſejungi non debent.

EXteriores actus Religionis ſunt *Adoratio*, *Sacrificium*, & *Votum*: Qui tamen ab interioribus actibus divelli, ac ſejungi non debent, ſed ita adhiberi, ut eis quaſi ſignis quibuſdam mens hominis excitetur ad ſpirituales actus, quibus Deo conjungitur. Hujuſmodi enim exteriora *Non exibentur Deo, quaſi his indigeat*, ſecundum illud Pſalmi 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Sed exhibentur Deo *tanquam ſigna quædam interiorum, & ſpiritualium operum, quæ per ſe Deus acceptat*; (inquit *S. Th.*)

2. 2. q. 82. art. 1. ad ſecundum.

Unde *S. Aug.* Lib. 10. *De Civitate Dei*, c. 1. ait; *Sacrificium viſibile inviſibilis Sacrificii Sacramentum, ideſt, ſacrum ſignum eſt.* Et certe cum homo duabus partibus conſtet, ſpirituali, & ſenſibili, corpore, & anima, per utramque colere Deum debet, ſecundum illud Pſalmi 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

§. V. *Quid ſit Adoratio, & quot cultus religioſi ſpecies.*

ADorationis nomen varias habet ſignificationes; ſignificat interdum venerationem quamcumque exhibitam alteri in teſtimonium excellentiæ ipſius. Sic 3. *Regum* cap. 18. *Abdias* adoraſſe dicitur *Eliam*. Et ſi quidem humana, ſeu civilis excellentia duntaxat ſpectetur, adoratio quæ propter ipſam dicitur exhiberi, non eſt actus Religionis, ſed cultus tantum civilis. Sic *Abraham* adoraſſe *filios Heth* tanquam dominos terræ in qua verſabatur, & *Berſabee* adoraſſe *Davidem*, Scriptura Sacra commemorat, *Geneſ.* 23. & 3. *Regum* 1. Si autem ſpiritualis excellentia conſideretur, adoratio, quæ propter illam dicitur exhiberi, eſt cultus ſpiritualis, & ad Religionem pertinens. Qui quidem cultus, ſi ſanctis Angelis, vel beatis hominibus cum Chriſto regnantibus impendatur, *Dulia* dicitur Eccleſiaſtico loquendi more; ſi Virgini Deiparæ, dicitur *Hyperdulia*, ob ſingularem illius ſupra ceteros Sanctos, & Angelos ipſos excellentiam ex dignitate Matris Dei, & gratiarum plenitudine tantæ dignitati reſpondentem æſtimandam.

Duliæ, & Hyperduliæ diſcrimen.

Latria eſt cultus, ac ſervitus uni Deo conveniens.

Adoratio ſecundum præcipuam, & nunc apud Theologos magis tritam vocabuli notionem, eſt actus, quo noſtram erga Deum ſervitutem in recognitionem infinitæ illius excellentiæ, ſupremique dominii, externis etiam ſummiſſionis ſignis profitemur. Hæc adoratio *Latria* dicitur, unique Deo exhiberi debet, ac poteſt. Unde Chriſtus Matth. 4. ait: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Sic *Matth.* 2. nomen adorationis uſurpatur, cum dicitur de Magis: *Et procidentes adoraverunt eum.*

Quamvis autem Duliæ, Latriæque nomina Scriptura ſacra promiſcue uſurpet pro cultu, ſive ſervitute Deo debitis; quia tamen nec in Græca, nec in Latina lingua vocabulum reperitur ullum, quod proprie ſignificet cultum, & honorem ſoli Deo convenientem; uſus Eccleſiæ jam olim obtinuit, ut cultus, ac ſervitus uni Deo conveniens *Latria* vocetur; ſervitus autem communis, hoc eſt, Sanctis Angelis, vel hominibus debita, dicatur *Dulia*, ut *S. Auguſtinus* obſervat, Lib. 15. *Contra Fauſtum*, cap. 9. & Lib. 20. cap. 21. *Illo cultu*, inquit, *qui Græce Latria dicitur*, (*Latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie Divinitati ſervitus*,) *nec colimus, nec colendum dicimus niſi verum Deum.* Quod Lib. 10. *De Civitate Dei*, cap. 1. rurſus repetit. *Hic eſt*, inquit, *Divinitati, vel ſi expreſſius dicendum eſt, Deitati debitus cultus, propter quem uno verbo ſignificandum, quoniam mihi ſatis idoneum non occurrit Latinum, Græco, ubi neceſſe eſt, inſinuo, quid velim dicere: Latriam quippe noſtri, ubicumque Sanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſtolus ſervos Dominis ſubditos eſſe debere, alio nomine Græce nuncupari ſolet*; ſcilicet *Dulia*.

§. VI. *Adoratio duplex, interior, & exterior.*

„ QUia vero ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali ſcilicet, ac ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in interiori mentis devotione, & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod exterius, refertur ad id, quod eſt interius, ſicut ad principalius: ideo ipſa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubjiciendum ſe Deo: quia connaturale eſt nobis, ut per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus. Igitur *Sicut oratio primordialiter quidem eſt in mente, ſecundario autem verbis exprimitur: ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia conſiſtit: ſecundario autem in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis. Sicut genuflectimus, noſtram infirmitatem deſignantes in comparatione ad Deum: poſternimus autem nos, quaſi profitentes nihil nos eſſe ex nobis*, inquit *S. Thomas*, Secunda Secundæ, quæſt. 84. artic. 2.

Adoratio exterior ab interiori procedit & ad illam vehementius excitat.

Quod autem adoratio exterior ab interiori procedat, animumque ad illam vehementius excitet, *S. Auguſtinus* docet Lib. *De Cura gerenda pro Mortuis*, cap. 5. *Nam & orantes*, inquit, *de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt; quamvis eorum inviſibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus; ſed hinc magis ſeipſum excitet homo ad orandum, gemendumque humilius, atque ferventius. Et neſcio quomodo, cum hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedente non poſſint, eiſdem rurſus exterius viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui ut fieret, iſta præceſſit, quia facta ſunt, creſcit.*

Adoratio corporalis a ſpirituali indiviſa eſſe debet.

Adoratio itaque corporalis ab adoratione ſpirituali indivulſa ſit neceſſe, ut vera ſit & Chriſtiana adoratio. Unde Chriſtus *Joannis* 4. ait: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus; & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Et ipſa igitur *Adoratio corporalis in ſpiritu ſit, in quantum ex ſpirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur* (inquit *S. Thomas*, loco ſuperius indicato in Reſponſione ad primum.) Hinc Bituricenſe Concilium anno 1584. celebratum, Tit. 1. ait; *Vera adoratio in ſpiritu, & veritate eſſe debet. In ſpiritu quidem adorant, qui mentis affectu Deum colunt: in veritate, qui cultu exteriore, & piis operibus mentis affectum teſtantur, & exprimunt. Perfecta igitur adoratio eſt, cum anima ſimul, & corpore divino obſequio mancipamur.*

§. VII. *De Sacrificio.*

Quid ſit Sacrificium.

INter actus externos Religionis ſecundo loco numeratur Sacrificium, cujus hæc notio a Theologis tradi ſolet: *Sacrificium eſt oblatio rei ſenſibilis, & permanentis, quæ Deo per legitimum Miniſtrum conſecratur, & offertur, cum aliqua ipſius rei oblatæ mutatione reali.*

Legis naturæ Sacrificia.

Ante Legis Moſaicæ lationem, convenientia Legis naturæ Sacrificia pii homines Deo offerebant, & lata etiam Lege, illi, quibus data non fuerat, utpote ex Populo Iſrael non oriundis. Sed Sacrificia illa determinata non erant. Judæi ad certa Sacrificia offerenda, ſecundum Legis præſcriptum tenebantur. Horum Sacrificiorum triplex erat genus, ſcilicet *Holocauſtum*, *Hoſtia pro peccato*, & *Hoſtia pacifica*. Holocauſtum offerebatur Deo in reverentiam Majeſtatis ejus, & amorem bonitatis ipſius: in eoque tota victima comburebatur, ut ſignificaretur totum hominem, & omnia, quæ ipſius ſunt, Dei dominio eſſe ſubjecta, eique offerenda. Hoſtia pro peccato, ſive Sacrificium propitiatorium offerebatur Deo ad expiationem peccati. In eo pars victimæ comburebatur; pars altera cedebat in uſum Sacerdotum: quo ritu ſignificabatur expiationem peccatorum a Deo fieri Sacer-

Sacrificia veteris Legis.

cerdotum miniſterio, & oratione. Hoſtia pacifica offerebatur Deo pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium, ex debito beneficii vel accipiendi, vel accepti. In eo victima dividebatur in tres partes. Una igne conſumebatur in honorem Dei: altera cedebat in uſum Sacerdotum: tertia in uſum offerentium: quo Ritu ſignificabatur, ſalutem hominis procedere a Deo, dirigentibus Miniſtris Dei, & cooperantibus ipſis hominibus, qui ſalvantur. Sic explicat *S. Thomas*, 1. 2. q. 102. art. 3. ad octavum. Hæc Sacrificia Novæ Legis Sacrificium unicum adumbrabant, ſcilicet Sacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti in Cruce ſemel oblatum, *Ad multorum exhaurienda peccata*: utque hac *Una Oblatione conſummaret in ſempiternum ſanctificatos*: & in Altari quotidie ad finem uſque ſæculi a Sacerdotibus Novi Teſtamenti incruento modo offerendum. *Sacrificium* illud fuit *Redemptionis*: Iſtud *Sacrificium Religionis*, quod prioris illius Sacrificii commemoratio eſt, & applicatio.

Novæ Legis Sacrificium adumbrabant.

Hebr. 9. & 10.

Sacrificium interius, & exterius bonorum operum.

Ceterum præter externum Sacrificium a certis Miniſtris ad id deputatis, aſſumptis, vel conſecratis Deo ſemper oblatum, offerri eidem debuit, ac perenniter offerendum eſt ab omnibus hominibus Sacrificium interius, nec non etiam Sacrificium exterius bonorum operum. Qua de re *S. Auguſt.* Lib. 10. *De Civitate Dei*, c. 5. præclare ſcribit; *Non ſolum pecore, vel qualibet alia re corruptibili, atque terrena, ſed ne ipſa quidem juſtitia hominis Deus egere credendus eſt, totumque, quod recte colitur Deus, homini prodeſſe, non Deo. Neque enim fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe, ſi biberit; aut luci, ſi viderit. Nec quod ad antiquis Patribus talia Sacrificia facta ſunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit, non facit aliud intelligendum, niſi rebus illis eas res fuiſſe ſignificatas, quæ aguntur in nobis ad hoc, ut inhæreamus Deo, & ad eandem finem proximo conſulamus. Sacrificium ergo viſibile inviſibilis Sacrificii ſacramentum, ideſt ſacratum ſignum eſt.* Unde Propheta quærens Deum peccatis ſuis habere propitium: *Si voluiſſes*, inquit, *Sacrificium, dediſſem utique; Holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Ubi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum oſtendit velle Sacrificium. *Non vult ergo Sacrificium trucidati pecoris, ſed vult Sacrificium contriti cordis.* Hinc & Pſ. 49. dicitur: *Si eſuriero, non dicam tibi; meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* Tum ſubjungit, quid illa Sacrificia ſignificent: *Immola Deo Sacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

Pſalm. 50.

Omne opus virtutis in Dei reverentiam factum, quodammodo Sacrificium eſt.

Quod autem omne opus virtutis in Dei reverentiam factum, quodammodo etiam Sacrificium ſit, colligitur ex Apoſtoli verbis ad Hebræos 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivviſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Cum igitur, ait Deus Oſee 6. *Miſericordiam volui, & non Sacrificium*, nihil aliud quam Sacrificium Sacrificio prælatum oportet intelligi: *Quoniam illud quod ab omnibus appellatur Sacrificium, ſignum eſt veri Sacrificii. Porro autem miſericordia verum Sacrificium eſt*; (inquit *S. Auguſt.*)

Et cap 6. ejuſdem Libri: *Proinde*, inquit, *verum Sacrificium eſt omne opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo beati eſſe poſſimus. Unde & ipſa miſericordia, qua homini ſubvenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt Sacrificium. Etſi enim ab homine fit, vel offertur, tamen Sacrificium res divina eſt.... Unde ipſe homo Dei nomine conſecratus, & Deo votus, in quantum Deo moritur, ut Deo vivat, Sacrificium eſt. Nam & hoc ad miſericordiam pertinet, quam quiſque in ſeipſum facit. Propterea ſcriptum eſt:* Miſerere animæ tuæ placens Deo. *Corpus etiam noſtrum cum per temperantiam caſtigamus, ſi hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo, Sacrificium eſt.* Unde Apoſtolus ad Romanos 12. cap. ait: *Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei, ut exibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.* Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, vel tamquam inſtrumento utitur anima, cum ejus bonus, & rectus uſus ad Deum refertur, Sacrificium eſt; *Quanto magis anima ipſa, cum ſe refert ad Deum, ut igne amoris ejus accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ ſubdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit Sacrificium?* Unde Apoſtolus ibidem ſubjungit: *Reformamini in novitate ſenſus veſtri; ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* „ Cum „ igitur vera Sacrificia ſint opera miſericordiæ, ſive in „ nos ipſos, ſive in proximos, quæ referuntur ad Deum; „ opera vero miſericordiæ non ob aliud fiant, niſi ut a „ miſeria liberemur, ac per hoc, ut beati ſimus; quod non „ fit niſi bono illo, de quo dictum eſt, „ *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*: profecto efficitur, *Ut tota ipſa redempta Civitas, hoc eſt, Congregatio, ſocietaſque Sanctorum, univerſale Sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam ſe ipſum obtulit in Paſſione pro nobis, ut tanti Capitis corpus eſſemus.*

Eccl. 30.

Pſalm. 47.

Idem argumentum tractat *S. Thom.* 2. 2. q. 85. art. 4. probatque ſoli Deo Sacrificium interius, & exterius offerri ab hominibus debere, quem unum agnoſcunt ſuæ creationis principium, & beatitudinis finem. Cum autem triplex ſit hominis bonum, ſcilicet bonum animi, bonum corporis, & bonum exteriorum rerum; primum offertur Deo interiori quodam Sacrificio per devotionem, & orationem, & alios hujuſmodi interiores actus; & hoc eſt principale Sacrificium. Secundum offertur Deo per Martyrium, & abſtinentiam, ſive continentiam. *Unde Tertullianus*, Lib. *De Reſurrectione Carnis*, Cap. 8. *Sacrificia*, inquit, *Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, & ſeras & aridas eſcas, & appendices hujus officii ſordes, caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat. Virginitas quoque, & Viduitas de bonis carnis adolentur.* Tertium bonorum genus Deo in Sacrificium offertur, quando immediate res noſtras Deo offerimus; mediate autem, quando eas communicamus proximis propter Deum; (inquit *S. Thom.* 2. 2. q. 85. a. 3. ad ſecundum.)

Triplex hominis bonum Deo in Sacrificium offertur.

§. VIII. *De Voto.*

Quid ſit Votum.

VOtum inter actus externos Religionis tertium locum tenet: Unde *Iſaiæ* 19. dicitur: *Colent eum in hoſtiis, & muneribus; & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Definitur a Theologis, *Promiſſio deliberata, Deo facta de meliori bono.* Promiſſio eſt, non ſimplex propoſitum aliquid faciendi. Unde cum quidam mortis metu perterritus poſt minutionem hæc verba protuliſſet, *Non diu hic morabor*, proponens in animo, quod Religionis habitum eſſet aliquando ſuſcepturus, *Alexander III* ea de re interrogatus: cap. *Litteraturam*, Ext. *De Voto, & Voti redemptione*, reſpondit: *Si plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor judicari non poteris, ſi non impleas, quod dixiſti.* Simplex namque propoſitum melioris boni obligationem non parit, niſi accedat promiſſio. Hanc autem *deliberatam* eſſe neceſſe eſt, ut ſcilicet promittat aliquis ſciens volens: unde vota ante rationis uſum nuncupata, vel ex metu in virum conſtantem cadente, nulla, & irrita ſunt; necnon illa, quæ emitteret aliquis obligare ſe nolens. Sic ergo (inquit *S. Thomas*, 2. 2. q. 88. art. 1.) *Ad votum tria ex neceſſitate requiruntur: primo quidem deliberatio: ſecundo, propoſitum voluntatis: tertio promiſſio, in qua perficitur ratio voti. Superadduntur vero alia duo, quandoque ad quandam voti confirmationem, ſcilicet pronuntiatio oris, ſecundum illud Pſalmi* 65. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea: *& teſtimonium aliorum.* Nihil tamen refert an voce, an cogitatione ſola Deo aliquid promittitur, quia *Homo videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor.* Conceptio itaque boni propoſiti non firmatur animi deliberatione, niſi promiſſio deliberationem ſequatur; (inquit *Sanct. Thomas.*)

1. Reg. 16.

Promiſſio eſt *Deo facta*, ſecundum illud Pſal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro.* Alia autem ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo. Homini quidem promittimus aliquid propter ejus utilitatem; commodum enim ipſius eſt, ut ei aliquid exhibeamus, cumque de futura exhibitione certiorem prius faciamus. Sed promiſſionem Deo facimus, non propter ejus utilitatem, ſed propter noſtram: ait enim Propheta: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Hinc *S. Auguſtinus* Ep. 127. alias 45. ad *Armentarium*, & *Paulinam* conjuges, qui continentiam voverant, ſcribit: *Reddite, quod voviſtis, quia vos ipſi eſtis, & ei vos redditis, a quo eſtis. Neque enim, quod redditis, reddendo minuetur, ſed potius ſervabitur, & augebitur. Benignus enim exactor eſt, non egenus; & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores. Huic ergo quod non redditur, perditur: quod autem redditur, reddenti additur: immo vero in eo cui redditur, ipſe reddens ſervatur. Idipſum quippe erit redditum, & redditor, quia idipſum erat debitum, & debitor. Deo namque ſe ipſum debet homo, eique reddendus eſt, ut beatus ſit, a quo accepit, ut ſit. Hoc ſignificat, quod in Evangelio Dominus ait:* Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. *Hoc enim dixit, cum ſibi demonſtrato nummo, & quæſito cujus haberet imaginem, reſponſum eſſet: Cæſaris: ut hinc intelligerent, quod Deus exigeret ab homine imaginem ſuam in homine ipſo, ſicut Cæſar ſuam exigebat in nummo. Quanto magis ergo reddenda eſt, cum promittitur, cui etiam non promiſſa debetur?* Sicut autem id, quod reddimus Deo, non eſt ei utile, ſed nobis: ita etiam promiſſio, qua Deo aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, quia certior a nobis fieri non indiget de voluntate noſtra; ſed ad utilitatem noſtram quatenus voto immobiliter voluntatem noſtram firmamus in bono, quod promittimus. Ita ratiocinatur *S. Thomas*, 2. 2. qu. 88. art. 4.

Pſ. 15. 3.

Promiſſiones Deo facimus, non propter ejus, ſed propter noſtram utilitatem.

Matth. 22.

Verum (inquies) ſi Votum eſt promiſſio Deo facta, quomodo Sanctis vota nuncupari dicuntur? Quomodo Prælatis obedientiam vovemus?

Reſpondet *S. Thomas*, art. 5. ad ſecundum, Votum ſoli Deo fieri, ſed promiſſionem poſſe etiam fieri homini; & hanc eſſe poſſe materiam Voti, quatenus eſt opus quoddam virtutis. Atque hoc ſenſu dicimur aliquid vovere Sanctis, vel Prælatis; ita ut promiſſio illis facta ſit materia Voti, *In quantum ſcilicet homo vovet Deo ſe impleturum, quod*

Quo ſenſu vota Sanctis nuncupari dicantur.

quod Sanctis, vel Prælatis promittit. Vel ſenſus eſt Votum Deo nuncupari coram Sanctis, ſive ut teſtibus, ſive ut Patronis, qui auxilium gatiæ ad implenda vota neceſſarium ſuffragiis ſuis a Deo voventibus impetrent.

Ceterum antiquum eſſe, & Eccleſiaſticum loquendi morem, quo vota Sanctis fieri dicuntur, adeoque minime corrigendum, ſed Populo fideli a Paſtoribus explicandum, conſtat ex *Euſebio Cæſarienſi*, Lib. 13. *De præparatione Evangelica*, cap. 11. ubi de Martyribus ſic loquitur; *Eorum ſepulcra celebrare, & preces ibi, votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari conſuevimus.*

Duæ conditiones neceſſariæ, ut aliquid ſit materia voti.

Denique Votum eſt Promiſſio *de meliori bono*, hoc eſt vel de bono ſupererogationis, & conſilii, quod melius dicitur, ſeu majus bonum; quia majoris perfectionis eſt conſilia ſimul cum præceptis, quam ſola præcepta implere; vel melius bonum dicitur materia voti, quia melius eſt, & perfectius illud facere, quam omittere, ſive quia oppoſito melius eſt: Duæ itaque conditiones omnino neceſſariæ ſunt, ut res aliqua ſit materia voti: primo, quod in noſtra poteſtate, ſeu libertate ſit poſita: ſecundo, quod Deo grata, & accepta ſit. Quamobrem neque res illicitæ, ſeu opera per ſe mala, neque res indifferentes ſunt materia voti; & contra Religionem graviter peccaret, qui opera hujuſmodi voveret: ſed de ſolo virtutis opere votum fieri poteſt. Nec etiam materia voti eſſe poſſunt, quæ ſunt abſolute neceſſaria; unde ſtulte aliquis voveret ſe eſſe moriturum, vel non eſſe volaturum. Quæ tamen neceſſaria ſunt neceſſitate finis, & officii, quia ſcilicet ſine illis ſalutem æternam conſequi non poſſumus, aliquo modo, licet minus proprie, materia voti eſſe poſſunt. Unde ſi quis de vitanda ebrietate, aut fugiendo juramento temerario votum emittat, duplici nomine ad hæc peccata cavenda tenebitur, ratione ſcilicet præcepti, & ratione voti. Hinc in Decretis Cauſſa 17. qu. 8. Canone *Sunt quædam*, dicitur, quædam eſſe, *Quæ etiam non voventes debemus*; quædam, *quæ niſi voverimus, non debemus.* Res autem impoſſibiles non ſunt in materia voti, unde ſi quis voveret ſe nunquam peccaturum venialiter, voto ligatus non eſſet. Demum ea omnia, quæ Conſiliis Evangelicis opponuntur, non ſunt materia voti; ut ſi quis voveret ſe nunquam Religionem ingreſſurum, ſeu Deo ſeſe in Monaſterio conſecraturum; quia hujuſmodi votum viam ad melius bonum præcluderet; tantum abeſt, ut promiſſio eſſet melioris boni.

Melius eſt aliquod virtutis opus ex voto facere, quam ſine voto.

Ex his colligitur, Melius eſſe, ac laudabilius aliquod virtutis opus ex voto facere, quam abſque voto. Primo, quia opera ſic facta ſingulari quadam ratione ad Dei cultum feruntur, quaſi quædam Sacrificia. Unde *S. Auguſtinus*, Lib. *De Sancta Virginitate*, cap. 8. ait: *Neque enim & ipſa, quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt, honoratur, quæ licet in carne ſervetur, ſpiritus tamen religione ad devotionem ſervatur. Ac per hoc ſpiritualis etiam virginitas corporis, quam vovet, & ſervat continentia pietatis.* Secundo, quia ille, qui vovet aliquid, & facit, ſe Deo magis ſubjicit, quam ille, qui ſolum facit. Subjicit enim ſe Deo non ſolum quantum ad actum, ſive quantum ad opus, ſed etiam quantum ad poteſtatem operis faciendi, quia ſe obligat, ne deinceps oppoſitum faciat; ſicut plus daret homini, qui daret illi arborem fructibus ſuaviſſimis onuſtam, quam qui fructus tantum offerret. Tertio, quia per votum voluntas firmatur in bono; majoris autem, ac perfectioris virtutis opus eſt, quod fit voluntate in bono firmata; ſicut peccatum, quod mente in malo obſtinata committitur, gravius eſt. Hæ ſunt rationes *S. Thomæ*, loco ſuperius indicato, art. 4. Hinc major gloria parata eſt a Deo iis, qui vovent, ac reddunt meliora bona, quæ non imperavit, ut docet *S. Auguſtinus*, Lib. *De Sancta Virginitate*, cap. 14. *In vita æterna*, inquit, *eſt quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda, cui conſequendæ parum eſt liberatum eſſe a peccatis, niſi aliquod ipſi Liberatori voveatur, quod non ſit criminis non voviſſe, ac reddidiſſe ſit laudis.* Hinc eis, qui reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, promittit ipſe Salvator fore ut in regeneratione, cum ſederit in ſede majeſtatis ſuæ, ſedeant & ipſi ſuper thronos orbem judicaturi.

Quotuplex votum.

Explicata voti natura, expendendum eſt, quotuplex ſit votum. Igitur Votum aliud eſt *Abſolutum*, aliud *Conditionatum*. Votum abſolutum eſt, quod nulla conditione ſuſpenditur. Quamobrem impleri debet quantocius fieri poteſt, ſecundum illud Deuter. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Votum conditionatum eſt, quod aliqua conditione ſuſpenditur. Unde non ante obligat, quam conditio impleta fuerit: cum quis, verbi gratia, gravi lite implicatus, in qua de vita, de bonis moribus, aut honore, famaque agitur, vovet ſe pauperibus erogaturum centum nummos, ſi cauſſam vicerit; votum implere non tenetur, antequam lis in ejus gratiam finita ſit, & ſecundum ipſum lata Sententia.

Rurſus Votum aliud eſt *reale*, aliud *perſonale*, aliud *mixtum*. Reale eſt, cujus materia eſt extra voventem, ut bona temporalia: cum aliquis v. g. vovet ſe Templis ornamenta collaturum, aut pauperibus eleemoſynas erogaturum. Perſonale eſt, cujus materia eſt ipſa perſona, vel opus voventis: cum quis, ex. gr. Sacrorum Ordinum ſuſceptione, aut Religioſæ vitæ profeſſione Deo ſeſe conſecraturum, aut piam peregrinationem, jejunium, continentiam, aut certas preces vovet. Votum mixtum eſt, cujus materia ſunt perſona, vel opus voventis, ſimul & ipſius bona: ut ſi quis in Ædem Lauretanam, vel Carnotenſem Virginis Deiparæ peregrinationem voverit, ſeque calicem, aut lampadem argenteam ibi oblaturum. Votum perſonale ſolum voventem obligat: votum reale ab alio impleri poteſt, illiuſque obligatio ad voventis hæredes tranſit, ſi illud ipſe non implevit; ut conſtat ex cap. *Licet*, Ext. *De voto, & voti redemptione*, & cap. *Si hæredes*, Ext. *De Teſtamentis.*

Voti ſimplicis, & ſollemnis diſcrimen.

Denique Votum aliud *ſimplex*, aliud *ſollemne* eſt. Votum ſimplex eſt Promiſſio melioris boni, quod tamen actu non traditur Deo; aut ſi traditur a promittente, quod facere poteſt, non tamen recipitur a Prælato vice Dei, & Eccleſiæ nomine, aut certe non recipitur irrevocabiliter. & in omne tempus. Votum ſollemne eſt promiſſio Deo facta cum ſollemni traditione voventis, & Conſecratione quadam, qua divino Miniſterio mancipatur, ejuſque acceptatione a Prælato, vice Chriſti, & Eccleſiæ nomine. Sollemne autem votum eſt, cum aliquis per Sacri Ordinis ſuſceptionem divino Miniſterio applicatur: aut Profeſſione certæ Regulæ ab Eccleſia approbatæ ſæculo, propriæque voluntati renuntians, Statum perfectionis aſſumit, ut docet *S. Thomas*, & confirmat cap. *Quod votum*, Tit. *De voto*, in Sexto. Votis igitur particularium operum, ſcilicet piæ peregrinationis, jejunii, orationis, eleemoſynæ, &c. notio voti ſollemnis non convenit, *Sed ſolum voto, quo aliquis totaliter ſubjicit ſe divino miniſterio, ſeu famulatui*; particularibus enim actibus non conſuevit ſollemnitas adhiberi, *ſed aſſumptioni novi ſtatus.* Sollemnitas porro voti non ſolum ad homines pertinet, ſed ad Deum, *In quantum habet aliquam ſpiritualem conſecrationem, cujus Deus eſt Auctor, et ſi homo ſit miniſter: ſecundum illud Nu.* 6. Invocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. *Et ideo Votum ſollemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam Votum ſimplex, & gravius peccat, qui illud tranſgreditur.* Quod autem dicitur Votum ſimplex non minus apud Deum obligare, quam ſollemne, *Intelligendum eſt quantum ad hoc, quod utriuſque tranſgreſſor peccat mortaliter.* Aliud porro eſt Votum publicum, & aliud ſollemne. Nam & ſimplicia palam, & in multorum conſpectu, & ſollemnia privatim, & coram paucis fieri poſſunt. Neque enim hic de ſollemnitate humana quæſtio eſt, quæ Votis etiam ſimplicibus poteſt adhiberi: ſed de ſollemnitate ſpirituali, & divina, quæ in conſecratione quadam voventis poſita eſt. Unde *S. Hieron.* Epiſt. 8. *ad Demetriadem*, *De ſervanda Virginitate*, ita ſcribit: *Quantum Virginis noſtræ ſit meritum, hic poteſt æſtimari, quod occupatus in explicanda ea parte delubri, in qua thymiamatis Altare deſcribitur, malui hoc parumper diverticulo uti, ut de Altari tranſirem ad altare, atque Hoſtiam vivam placentem Deo æterna pudicitiæ conſecrarem.* Et *S. Ambroſ.* Lib. 1. *De Virginibus* c. 10. *Ex ultimis infra ultraque Mauritaniæ partibus deductæ Virgines hic ſacrari geſtiunt.* Et Lib. *De Virginitate*, c. 6. *Diſcite quantas Alexandrina, totiuſque Orientis, & Africana Eccleſia quotannis ſacrare conſueverit. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic Virgines conſecrantur.* Et Lib. *De lapſu Virginis conſecratæ*, c. 9. ſic Virginis corruptorem alloquitur: *Vas rationabile conſecratum Chriſto, ſanctificatum Spiritui Sancto, impie temeraſti, polluiſti ſacrilege.* Eodem conſecrationis verbo *S. Aug.* utitur Libro *De Sancta Virginitate*, c. 8. de voto ſollemni Virginitatis loquens: *Integritas carnis*, inquit, *ipſi Creatori Animæ conſecratur, ſervatur.*

S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 8.

Voti ſollemnitas in conſecratione voventis poſita.

§. IX. *Explicatur pars altera Præcepti*, Non habebis Deos alienos coram me.

PArs altera præcepti, *Non habebis Deos alienos coram me*, prohibendi vim habet (ut diximus.) Hac autem loquendi formula uſus eſt Legiſlator cœleſtis, non quod ſatis explicata non eſſet hæc ſententia affirmatione præcepti hunc in modum: Me unum Deum coles: ſi enim Deus eſt, unus eſt: ſed propter cœcitatem plurimorum, qui olim verum Deum ſe colere profitebantur, & nihilominus Deorum multitudinem venerabantur: quales inter Hebræos ipſos permulti fuerunt, quos increpat Elias, 3. Reg. 18. *Uſquequo*, inquit, *claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.* Quod & Samaritani fecerunt, qui Deum Iſraelis, & Deos Gentium colebant, ut habetur 4. *Reg.* cap. 17. 33. Prohibet igitur Deus graviſſimam illam injuriam ſibi irrogari, qua aliquem alium præter ipſum pro Deo noſtro habeamus, non quaſi ſit aliquis alius Deus, ſed quia hoc perverſitas hominum confinxit. Quod vero adjecit, *Coram me*, magnam emphaſim habet: longe enim gravius eſt aliquem alteri palam præſentem præſenti inſultare, & injuriam inferre, quam occulte, & abſentem lædere. At qui Dei honorem in alium Deum transfert, coram, ac præſente Dei id agit, qui ubique præſens omnia intuetur.

ARTICULUS II.

Cultus Sanctorum primo Decalogi Precepto non repugnat.

Cultus religioſus Sanctorum Deo gratus.

SAnctis enim ſive Angelis, ſive hominibus Dei cum Chriſto regnantibus divinum cultum, ideſt, honorem aliquem Deo proprium, aut ſoli Deo debitum non tribuit, aut a Fidelibus exhiberi permittit Eccleſia; ſed eum quem conjunctiſſimis Dei amicis, & arcanorum ejus conſciis, noſtræque ſalutis amantiſſimis, quem diſtinctionis cauſſa *Duliam* vocat, cum *Latria* ſit ſoli Deo debita ſervitus. Neque vero cultus hujuſmodi putandus eſt ulla ex parte Dei gloriam minuere, vel obſcurare, ſed potius augere, atque illuſtrare; tum quia Deus hoc modo non in ſe ſolum, ſed etiam in Sanctis ſuis mirabilis, & glorioſus agnoſcitur; tum quia hoc ipſum Deo acceptum, & gratum eſt; ut ſicut Reges, Principes, Sacerdotes, Parentes, & quicumque poteſtatis, vel ſanctitatis nomine excellunt, Deoque ſimiles ſunt, ſecundum Legem ejus honoramus, & veneramur; ita & multo magis eos honoremus, qui Regni cœleſtis jam cum ipſo ſunt conſortes; propterea quod & caritate, & dignitate ſublimiores, etiam apud Deum honoris excellentiam conſecuti ſint, qua nuſquam poſſunt excidere. Deum autem velle, ut ſic a nobis honoretur, ex Sacris Litteris compertum eſt. Pſalm. 138. *Nimis honorati ſunt amici tui, Deus.* Et Joan. 12. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Sic *Joſue* Angelum Principem Militiæ Domini pronus in terram veneratus eſt. *Joſue* 5. Sic filii Prophetarum, qui erant in Jericho, cum ſpiritum *Eliæ* ſuper *Eliſeum* requieviſſe experti fuiſſent, *Venientes in occurſum ejus, adoraverunt eum proni in terram*, ideſt, ut Prophetam ſingulari, & pluſquam civili honore venerati ſunt. Quod ſi legimus Angelos internum honorem ab hominibus ſibi exhibitum recuſaſſe, propterea id feciſſe intelligendum eſt, quod eum ſibi honorem haberi nollent, qui ſoli Deo debetur.. Sic Angelus prohibuit *S. Joanni* ne ipſum adoraret, Apoc. 10. *Vide*, inquit, *ne feceris: Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum, habentium teſtimonium Jeſu: Deum adora.* Ita enim dilecto Chriſti Apoſtolo apparuerat Angelus, ut Deus videri poſſet: quamobrem opus erat, ut ſe Deum non eſſe, ſed Dei Legatum, ac Miniſtrum doceret, ne ipſum *Joannes* adoraret. Ita hunc locum *S. Auguſtinus* exponit qu. 61. Super Geneſim: *Talis*, inquit, *apparuerat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari: & ideo fuerat corrigendus Adorator.* Quamquam nec improbabile ſit, Angelum prohibuiſſe, ne ſupplex ante ipſum Apoſtolus proſterneretur, ob naturæ humanæ a Filio Dei aſſumptæ reverentiam, utque ſignificaret *Angelos non dedignari habere hominem ſocium, qui ſuper ſe adorant hominem Deum*, (inquit *S. Gregorius*, Homil. 8. in Evang.) Quod vero *S. Petrus* Cornelium ad pedes ejus proſtratum, ac ſupplicem ſurgere juſſerit, dicens: *Et ego ipſe homo ſum*: id feciſſe ad humilitatis exemplum, docet *S. Jo. Chryſoſt.* Hom. 23. in Acta Apoſtolorum.

4. Reg. 2.15.

Act. 10.

Sed nec Apoſtolus fideles deterrere cenſendus eſt a religioſo Sanctorum Angelorum cultu, cum ad *Coloſſenſes* ſcribit cap. 2. *Nemo vos ſeducat volentes in humilitate, & Religione Angelorum*, &c. Sed vel a Moſaicæ Legis obſervationibus, quæ poſt Chriſti Mortem, & Evangelii promulgationem Dei cultus eſſe deſiit, & transfugarum potius Angelorum, ſive Spirituum immundorum cultura facta eſt: de quibus Apoſtolus paullo ante dixerat: *Explicans Principatus, & Poteſtates, confidenter palam traduxit illos triumphans in ſemetipſo.* Quæ S. Hieronymi interpretatio eſt Epiſtol. 151. ad *Algaſiam*, qu. 10. vel ſuperſtitioſum duntaxat cultum prohibuit Angelus exhibitum ab iis, qui relicto Chriſto Mediatore, Angelos, ut unicos, & primarios Mediatores, adibant, per eos ad Deum nos adduci neceſſario oportere garrientes, per quos Lex data eſſet. Idque falſa humilitate ducti fieri ſtudebant, dicentes, *Univerſorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi poſſe: & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare.* Hoc eſt, quod dicit Apoſtolus, *In Humilitate, & Religione Angelorum.* Hæc *Theodoreti* expoſitio eſt. Superſtitioſum hujuſmodi cultum Laodicena Synodus Canone 35. prohibuit, volens veteri illi morbo mederi: quia occultæ idololatriæ ſerviebant, qui Chriſto, & Eccleſia relictis, Angelos adorabant. Uno verbo; eum duntaxat Angelorum cultum prohibet, ac damnat Apoſtolus, cui aliquis ita addictus eſt, ut Eccleſiæ Caput, ideſt, Chriſtum non teneat. *Nemo*, inquit, *vos ſeducat, volens, in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens Caput ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.* Sed Angelos revereri non prohibet, ut Dei Legatos, & Miniſtros, quorum opera non modo ad Eccleſiæ ſuæ, ſed etiam ad reliquarum rerum gubernationem utitur: ut noſtros curatores, & cuſtodes, ut patronos apud Deum potentiſſimos, qui magna caritate nos diligunt: qui pro iis Provinciis, quibus præſunt (ut ex Scriptura Sacra facile intelligitur) preces fundunt; quod etiam præſtare iis, quorum ſunt ipſi Cuſtodes a Deo conſtituti, minime dubitandum eſt. Noſtras enim preces Deo offerunt, ut conſtat ex *Apocalypſis* c. 8. 3. 4.) Quamobrem Chriſtus Dominus in Evangelio docuit, Puſillos ſcandalizandos non eſſe; *quia Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris.*

Matth. 18.

Sancti caritate, non ſervitute colendi.

Objecerunt quidem olim Eccleſiæ Ethnici, & Manichæi Hæretici divinos honores Martyribus a Chriſtianis, & Catholicis impendi; eoſque Idolis Gentium mortuos homines ſubſtituiſſe: ſed eam calumniam egregie repellit *S. Auguſtinus*, Lib. 20. *Contra Fauſtum*, cap. 21. Hujus verba deſcripſi in Tractatu *De Sacramento Euchariſtiæ*, cap. 6. artic. 2. Summa hujus loci eſt, Populum Chriſtianum Memorias Martyrum religioſe celebrare, & *ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, & orationibus adjuvetur.* Ceterum Martyribus Altaria non conſtitui, nec offerri Sacrificium, ſed ſoli Deo, qui Martyres coronavit, in Memoriis eorum, quos coronavit. Nos Martyres colere, non cultu Latriæ, *Sed eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur Sancti Homines Dei.* Paucis verbis ut multa complectar, Sancti *Honorandi ſunt propter imitationem; non adorandi propter Religionem... Honoramus eos caritate, non ſervitute. Nec eis Templa conſtruimus. Nolunt enim ſe ſic honorari a nobis: quia nos ipſos, cum boni ſumus, Templum ſummi Dei eſſe noverunt.* Quamvis ergo vulgo nuncupetur Eccleſia, ſive Templum, aut Altare Beatæ Virginis, S. Petri, aut alterius Sancti; non tamen illis conſecrata ſunt Templa, vel Altaria, neque dicati Feſti dies, ſed Deo in eorum memoriam, & ſub eorum invocatione. Hæc Eccleſiæ Catholicæ Fides.

Sanctorum memoriam triplici ratione colimus.

Sanctorum autem memoriam triplici potiſſimum ratione colimus. Primo, ut eximia Dei opera in illis celebremus, Deumque, ob beneficia illis, & per illos ceteris hominibus collata laudemus, quemadmodum Scriptura Sacra ubique facit, & Deum in Sanctis ſuis laudari jubet. Secundo, ut fidem etiam Sanctorum, qua vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, ſuſcipiamus; ipſoſque veluti jam perpetuos filios Dei fratres, & coheredes Chriſti, Templaque Spiritus Sancti honoremus. Nam plane ſuperbus, atque impius eſt, qui, quos honore ſummo Pater Cœleſtis afficit, recuſat honorare. Tertio, ut imitatione ſanctioris vitæ Sanctos colamus, quæ honoris ſpecies eſt non minima, ut ſcilicet ſimus illorum imitatores, ſicut & ipſi Chriſti. Adaugent certe Sanctorum Vitæ, & exempla nobis fiduciam aſſequendi bravii, quod currendo appetimus: addunt operandi alacritatem, quod quæ illos per Chriſtum jam aſſecutos intelligimus, eodem auctore nos aliquando conſecuturos confidamus. Huc ſpectant egregiæ illæ Sanctorum Veteris Legis laudes; *Eccleſ.* 44. & ad *Hebr.* 11. ubi Apoſtolus, cum Sanctos ex fide plurimum commendaſſet, addit: *Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum: per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in Auctorem Fidei, & conſummatorem Jeſum.*

Plura de hoc argumento ſuppeditabit Diſſertatio quarta in Hiſtoria noſtra Eccleſiaſtica Sæculi quinti, q. 2. art. 1.

ARTICULUS III.

Sacrarum Reliquiarum honor primo Decalogi Precepto non repugnat.

Super Sanctorum corpora Deo eriguntur Altaria.

MArtyres enim, alioſve Sanctos viros cum Chriſto regnantes, non adoramus, multo minus ipſorum Reliquias, ne ſerviamus creaturæ potius quam Creatori: ſed *Honoramus Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait; Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit:* (inquit *S. Hieronymus* Lib. *Contra Vigilantium* Hæreticum, qui debitum Sanctorum Reliquiis honorem primus impugnavit:) Quem Eccleſiæ univerſæ more, atque uſu, refellit S. Doctor, præſertimque Romanæ, cujus Epiſcopus *Super SS. Patr., & Pauli oſſa veneranda offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur altaria.* Honorem Sanctorum Reliquiis debitum probant Miracula, quæ Deus ad eorum ſepulcra edidit, atque etiamnum edit, cum ipſi placet, ac ſupplicantium fides id meretur: oculis, & manibus, membriſque omnibus captis, in priſtinum ſtatum reſtitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum ejectis dæmoniis; quæ non legiſſe, ut multi, non audiviſſe, ut plurimi graviſſimi viri, ſed ſe vidiſſe, teſtes locupletiſſimi *SS. Ambroſ.* & *Aug.* litteris prodiderunt: Ille in *Exhortatione Virginitatis* cap. 1. & 2. ubi de Sanctorum Martyrum *Vitalis & Agricolæ* Reliquiis, & Epiſt. 22. Pariſienſis Editionis poſtremæ, ubi de Inventione corporum *SS. Gervaſii, & Protaſii* Martyrum ſcribit: iſte vero Lib. 9. *Confeſſionum*. c. 7. & Lib. 22. *De Civit. Dei*, cap. 8. ubi, & de *S. Stephani* Protomartyris Reliquiis nuper inventis multa habet, & de variis Miraculis illarum virtute effectis. Et Sermone 227. alias 92. *De Diverſis*, qui quartus eſt de *S. Stephano* Martyre: *Exiguus pulvis*, inquit, *tantum populum congregavit: cinis latet, beneficia patent. Cogitate, Cariſſimi, quæ nobis Deus ſervet in regione vivorum, qui tanta præſtat de pulvere mortuorum.* Quid multa? Si Apoſtoli *Pauli* ſudaria, & ſemicinctia; ſi umbra *S. Petri*, priuſquam vita per Martyrium functi eſſent, depulerunt morbos, vireſque reſtituerunt, ut *Actuum* 5. & 19. refert S. Lucas: quis negare audeat, Deum per ſacros cineres, oſſa, ceteraſque Sanctorum Reliquias ſimilia Miracula patrare? Id declaravit cadaver illud, quod forte illatum in Sepulcrum *Eliſæi*, ejus tactis oſſibus ſubito revixit. (4. *Reg.* 13. Ex quibus Scripturæ ſacræ locis honorem Sanctorum Reliquiis debitum probaverunt quarti Sæculi Patres, præſertim *S. Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſi 18. & *S. Hieronymus Epiſtola* 53. *ad Riparium, De errore Vigilantii*: cujus ad finem ſe Eccleſiæ fidem propugnare diſerte aſſerit. *Non tam*, inquit, *illius infidelitatem, quæ omnibus patet, quam noſtram Fidem aperuimus.*) Secundum hanc fidem Concilium Carthaginenſe 5. Canone 4. ſtatuit, Ne alteria abſque Reliquiis Martyrum extruantur. Quinam autem major ſacrarum Reliquiarum honos, quam in Altari condi, ubi Domino Sacrificium offertur? Hanc Fidem confirmaverunt Septima Synodus Oecumenica, Nicææ adverſus Iconomachos celebrata, & Tridentina Seſſ. 25. quæ Epiſcopis omnibus, & ceteris docendi munus, curamque ſuſtinentibus præcipit, ut Fideles doceant, juxta Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, a primævis Chriſtianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum conſenſionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, *Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus Sancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda, a Fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia a Deo hominibus præſtantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi; vel eas, aliaque ſacra Monumenta a Fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ cauſſa Sanctorum Memorias fruſtra frequentari, omnino damnandos eſſe, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.*

Miracula ad Sanctorum ſepulcra edita.

Sanctorum corpora membra ſunt Chriſti, templa Spiritus Sancti.

Hoc argumentum plenius tractatum eſt Diſſertatione quinta in Hiſtoriam noſtram Eccleſiaſticam Sæculi quinti, quæſtione prima.

ARTICULUS IV.

Sanctorum Invocatio primo Decalogi precepto non prohibetur.

Sanctorum invocatio pia, atque utilis.

HÆc Propoſitio Dogma Fidei eſt, cum Scriptura Sacra, & Traditio, quæ Deum unum adorandum, illique ſoli ſerviendum ubique clamat, Angelorum nihilominus, & Sanctorum cum Chriſto viventium invocationem approbet, ut piam, atque utilem. Geneſis ſcilicet 98. refertur Jacob Patriarcham filiis ſuis benedicentem, ſic precatum fuiſſe, *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis: & invocetur ſuper eos Nomen meum; Nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Iſaac.* En invocationem expreſſam Angeli, & Sanctorum Patriarcharum defunctorum; Apocalypſis c. 1. *S. Joannes* pacem Fidelibus adprecatur ab Angelis Thronum Dei cingentibus: *Gratia vobis, & pax*, inquit, *ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & a ſeptem Spiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt.* Sic autem pacem ab Angelis adprecari, quid aliud eſt, quam ipſorum patrocinium invocare, ut gratiam, & pacem a Deo pro Fidelibus poſtulent? *Exodi* 32. Moyſes Deo his verbis ſupplicat: *Recordare, Domine, Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, &c.* Et 2. *Paralip.* 6. Salomon Deum orans ait: *Memento miſericordiarum David ſervi tui.* Deus ipſe propter merita Sanctorum beneficia confert hominibus, ut conſtat ex his verbis 4. Reg. 19. *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Pium igitur, ac utile eſt Sanctorum merita coram Deo allegare, ut illius beneficia impetremus.

Sanctos pro nobis orare fides docet.

Præterea, Sanctos pro nobis orare, Scriptura Sacra docet; *Jeremiæ* c. 15. ubi Dominus ait: *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Ex quibus colligitur, Moyſen, & Samuelem orare ſolitos pro populo Iſrael, non ſolum dum in terris viverent, ſed etiam poſt felicem obitum; *Machabæorum* 2. cap. 15. *Jeremias* mortuos orare dicitur pro populo: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta Dei.* Sed & *S. Petrus* orationes ſuas, ac patrocinium apud Deum Fidelibus poſt obitum ſuum pollicetur, Epiſt. 2. cap. 1. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Denique Apocalypſis 5. legimus, quod *Vigintiquatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*: Ideſt, preces Fidelium, hic in terris degentium, Cælites Deo offerunt, ſuoque patrocinio commendant. Quid vero prohibet, ut quos ſedulo pro nobis Deum deprecari ſcimus, eorum etiam precibus concedi petamus, ut in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio? Certe non poterit fructus Communionis Sanctorum Eccleſiæ Triumphantis nobis applicari, niſi per fidem, quæ piis votis, ac deſideriis excitanda eſt. Perinde autem eſt apud Deum, qui cordis inſpector eſt, & precantis affectum, non ſtructuram verborum examinat, ſive dicamus: Scimus, Maxime; & Optime Deus, Deiparam Virginem, S. Petrum, S. Stephanum orare pro nobis; eorum itaque precibus concede, ut tuæ protectionis auxilio muniamur: ſive dicamus, Sancta Maria Mater Dei, S. Petre, S. Stephane, orate pro nobis. Sed quantum ad nos attinet, cum Sanctos nominatim invocamus, non ſolum fidem, ſed etiam mutuæ caritatis affectum exprimimus: perſuaſum habentes, Deiparam Virginem, Apoſtolos, & Martyres, qui adhuc in corpore conſtituti pro ceteris orare voluerunt, & potuerunt, nunc tanto magis *De noſtra ſalute eſſe ſollicitos*, cum *de ſua ſorte ſecuri* ſunt, *poſt coronas, victorias, & triumphos*; ut *S. Cyprianus* lib. *De Mortalitate*, & *S. Hieronymus* lib. *Contra Vigilantium* loquuntur. Ad quam rationem accedit conſuetudo ab Apoſtolis accepta, & in Eccleſia Dei perpetuo retenta, & conſervata, cujus teſtes ſunt *SS. Cyprianus* Epiſt. 57. *Baſilius* Oratione in 40. Martyres, *Gregorius Nazianz.* Oratione 18. in S. Cyprianum, & Oratione 20. de Laudibus S. Baſilii; *Gregorius Nyſſenus* Oratione de Theodoro Martyre; *Jo: Chryſoſt.* Homilia 45. de Meletio; *Aſterius* Amaſenus Epiſcopus in Encomio Martyrum; *Ambroſius* lib. *De Viduis*, c. 9. *Auguſtinus* libro 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 1. S. Cyprianum invocans, & paſſim in Sermonibus, Synodus Chalcedonenſis Oecumenica, cujus Patres Actione 11. conclamarunt: *Flavianus poſt mortem vivit, Martyr pro nobis oret*; *S. Leo* Serm. 1. de Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli; *Theodoretus* l. *De curandis Græcorum Affectionibus* Serm. 8. qui *De Martyribus* inſcribitur, & alii. Itaque jure merito Sacra Synodus Tridentina ſeſſ. 25. pronuntiavit: *Sanctos cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant Sanctos, æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos eſſe: aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius Mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti; vel ſtultum eſſe in cælo regnantibus voce, vel mente ſupplicare, impie ſentire.*

Objectionibus Hæreticorum reſpondetur.

Impie igitur Hæretici objiciunt, Supervacaneum eſſe Sanctorum patrocinium, quod Deus ſine interprete precibus noſtris occurrat. Multa enim Deus non concedit, niſi Mediatoris, ac deprecatoris opera, & officium acceſſerit. Quod illuſtribus Abimelech, & Job amicorum confirmatur exemplis, quorum peccata nonniſi Abraham, & Job precibus condonavit. *Geneſis* ſcilicet 20. Dominus Abimelecho ſic de Abraham loquitur: *Orabit pro te, quia Propheta eſt, & vives.* Et Job ultimo ſic amicos ſanctiſſimi patientiſſimique Viri compellat: *Job autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non imputetur vobis ſtultitia.* Sic *Joelis* 2. jubentur Sacerdotes inter veſtibulum, & altare ſupplicare pro populo, & dicere, *Parce, Domine, parce populo tuo, &c.* Sæpe etiam in Levitico dicitur; *Rogabit pro eo Sacerdos, & dimittetur ei.* Hinc Deus Moyſi pro populo Iſrael oranti ait: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus.* Quibus verbis ſignificavit, *Plurimum apud ſe prodeſſe illi populo, quia ſic ab illo viro diligebantur, quem ſic Dominus diligebat: ut eo modo admoneremur, cum merita noſtra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud Eum illorum meritis poſſe, quos diligit:* (inquit *S. Auguſt.* q. 149. *in Exodum.*) Paulus etiam Apoſtolus in omnibus pene Epiſtolis, & ſe ſuis in orationibus ſine intermiſſione memoriam facere eorum, ad quos ſcribit, profitetur, & eorum viciſſim orationes pro ſe, & pro felici prædicationis Evangelicæ exitu implorat. *Jacobus* denique Apoſtolus c. 5. Epiſtolæ ſuæ Catholicæ ſcribit: *Orate pro invicem: ut ſalvemini.* Porro ſi ſupervacaneæ non ſunt Juſtorum in terris militantium orationes, cum pro aliis apud Deum intercedunt: multo minus ſupervacaneæ ſunt orationes Sanctorum in cœlis regnantium; eorumque patrocinium apud Deum adhibere, ſalutis noſtræ rebus longe utilius erit. Unde *S. Aug.* Serm. 320. alias 51. *De Diverſis*, qui ſextus eſt de *S. Stephano*, ait: *In cujus nomine faciebat, antequam carnem deponeret, in ejus nomine faciunt orationes ejus, ut beneficia impetrentur, quibus novit ea dari debere.*

Matt. 8. & Luc. 7.

Fruſtra etiam quis objiceret, Fieri inopia, & imbecillitate fidei, ut Sanctos internuntios, & patronos adhibeamus: nam pius ille Centurio, cujus fidem ſingulari præconio Chriſtus Dominus commendavit: dicens, *Non inveni tantam fidem in Iſrael*, Seniores tamen Judæorum amicos ſuos ad Salvatorem miſit, ut laboranti puero ſalutem impetrarent.

Sacrificium Sanctis non offertur, ſed uni Deo.

Verum, inquiunt, ſolum Deum invocare licet, dicente Apoſtolo ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Unde *S. Auguſtin.* Lib. 20. *De Civitate Dei*, c. 10. ait: *Non erigimus Altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro: ad quod Sacrificium, ſicut homines Dei, qui Mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur; non tamen a Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur.*

Solus Deus invocatur, ut noſtræ

Huic objectioni facile reſpondetur, Apoſtolum loqui de invocatione Deo propria, qua ipſum, ut bonorum omnium,